COMMENTARIUS IN EPISTOLAS PAULI

-3-

PUBLICATIONS IN MEDIAEVAL STUDIES
THE UNIVERSITY OF NOTRE DAME
EDITOR: PHILIP S. MOORE, C.S.C.

II

COMMENTARIUS CANTABRIGIENSIS IN EPISTOLAS PAULI E SCHOLA PETRI ABAELARDI
3. IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES, AD COLOSSENSES, Iam ET IIam AD THESSALONICENSES, Iam ET IIam AD TIMOTHEUM, AD TITUM ET AD PHILEMONEM

BY
ARTUR LANDGRAF

NOTRE DAME, INDIANA
1944

Nihil Obstat:

Eugenius P. Burke, C.S.C., Ph.D.
Censor Deputatus

Nostrae Dominae die XVI Octobris, 1944

Imprimatur:

✠ Johannes Franciscus Noll, D.D.
Episcopus Wayne Castrensis

Wayne Castris die XVI Octobris, 1944

Imprimi potest:

Thomas A. Steiner, C.S.C.
Provincialis Congregationis a Sancta Cruce

Nostrae Dominae die XVI Octobris, 1944

PREFACE

Five years have passed since the appearance of the second part of *Commentarius Cantabrigiensis*. In the meantime its editor, Dr. Artur Landgraf has returned to Bamberg, and consequently communication with him has been cut off. In view of these circumstances and of the uncertainty about the future, the general editor of *Publications in Mediaeval Studies* has felt it time to take upon himself the bringing out of this third part. He will also be responsible for the fourth and last part which will appear next year.

In this third part of our Commentary are contained the Epistles to the Philippians and the Colossians, the First and Second Epistles to the Thessalonians, the First and Second Epistles to Timothy, and the Epistles to Titus and to Philemon. In the commentaries on these epistles the *philosophus*, that is Abelard, continues to assume greater prominence.

Again in this third part, the general plan and form of the first two parts are followed, and an index has been added to facilitate use of the volume.

We take this opportunity to congratulate Dr. Landgraf on his elevation to the episcopal See of Bamberg, which has been recently announced.

PHILIP S. MOORE

[In epistolam ad Philippenses.]

"Paulus"[a] etc. Philippus est civitas in Macedonia, que in Grecia est. Hii autem probi erant et viriliter in fide stabant et a pseudoapostolis sibi bene precavebant et de suo multa apostolo, ubi erat, in sustentationem sui miserant. Quibus ut aliquam remunerationem redderet, scripsit eis non castigans, non arguens, sed persuadens, ut in eo, quod perceperunt, perseverarent. Non enim monendi erant, imo persuadendi, ut in via, quam iam cognoverunt, veritatis persisterent.

Et circa tria consistit epistola hec: ut videlicet in eo, quod acceperunt, permaneant; in tribulationibus exemplo illius non deficiant; a pseudoapostolis omnibus modis sibi caveant.

[Cap. 1]

Premittit autem salutationem dicens: "Paulus" etc. De apostolatu suo mentionem hic non facit. Non enim oportuit, ut se apud illos commendaret, qui de ipso bene sentiebant et pro summo eum habebant. Thimotheum autem, quem ad eos missurus erat, in salutatione sibi adiunxit, ut, cum ad illos veniret, eis, que diceret, melius adquiescerent.

Ambo, dico, "servi Christi Jhesu omnibus sanctis in Christo", id est omnibus christianis, "qui sunt Philippis", id est apud civitatem illam.[b] Et est indeclinabile veluti Remis sive Aurelianis.

"Cum episcopis et diaconibus". Hunc saltum non faceret de episcopatu ad diaconatum uno gradu pretermisso, nisi, ut sancti dicunt, sub episcopis etiam presbiteros intelligeret, presertim cum in illa civitate non esset nisi unus episcopus. Et ideo pluraliter propter episcopum et presbiteros ponit.[c]

---

[a] Paulus] aulus [b] illam] *inter lineas* [c] ponit] *inter lineas*

Mandant, subaudis, "gratia" etc., ut supra.
"Ego quidem". More suo imprimis a gratiarum actione incipit pro beneficiis omnibus, que eis Deus gratis impertivit. Et hoc est "ego quidem" etc. Gratias autem Deo agere non est nisi eum collaudare de dono gratuito. Et hoc "in omni memoria vestri semper" etc., id est quotiens ego pro vobis oro. Ego, dico, "faciens deprecationem pro vobis omnibus", et hoc "cum gaudio", id est cum magna pro vobis devotione, ut Deus vos semper in melius promoveat.
"Super communicatione". Gratias ago, dico, "super communicatione vestra", id est de beneficiis illis, que Deus vobis communicavit "in evvangelio", id est per ewangelium. Et hoc "a prima die", vestre videlicet conversionis, "usque nunc". Ego, dico, "confidens", magnam habens fiduciam, quod videlicet "qui cepit" etc., id est, quod qui initium habuit, habebit et consummationem in vobis et perfectionem. Et hoc "usque" etc., id est, quod nullo tempore erit, quod non sint semper inter vos aliqui perfecti. Et hoc usque adventum Domini.
"Sicut est". Faciens, dico, deprecationem, ita videlicet. "sicut iustum est michi", id est, quemadmodum debeo, "hoc", id est orare, "sentire", facere rationabiliter, "pro omnibus vobis, eo" videlicet, "quod habeam vos" ante alios "in corde meo", id est adherentes cordi meo, etiam "in vinculis meis", ubi videlicet catena constringor. "Et in defensione et confirmatione ewangelii", quia et ipsi defendebant ewangelium contra pseudoapostolos et confirmabant etiam sententiam apostoli[a] super carnalibus observantiis, quas ipse omnino interdicebat. Hos etiam sepe apostolus in exemplum trahebat in defensione et confirmatione ewangelii.
"Socios". Quasi dicat: Ego dico, volens, subaudis, "vos omnes esse socios gaudii mei" in celestibus. "Testis enim". Et vere semper in omnibus meis pro omnibus vobis deprecationem faciens volens vos omnes socios gaudii mei esse, quia "testis" est etc. Sacramentum est, quasi dicat: Per Deum iuro, quod cupio vos omnes "in visceribus Jhesu

[a] apostoli] *inter lineas*

Christi", id est, ut non sitis de familia Christi, sed de maioribus et intimis amicis illius, ut numquam ab amore eius recedatis.

"Et hoc" cotidie "oro, ut" videlicet "caritas" etc., de die scilicet in diem, et hoc "in omni scientia", id est in eis, que ad Deum pertinent. "Et in omni sensu", id est in eis, que ad amministrationem proximi spectant, "ut" ita "probetis", id est possitis probare, id est discernere non solum bona a malis, sed etiam "potiora", per ipsam videlicet rei experientiam, "ut sitis", id est permaneatis, "sinceres", id est sine carie, quod est[a] sine putredine. Quod exponit "et sine offensa", id est culpa, et hoc usque "in diem Christi Jhesu", id est usque in finem vite vestre.

Vos, dico, tandem, in futuro videlicet, "repleti fructu iustitie", id est vita ęterna, que ex iustitia provenit, et hoc "per Christum Jhesum", per quem ad illam remunerationem venietis. Et hoc totum "in gloriam et laudem Dei", id est, ut Deus laudetur et glorificetur. In illa enim remuneratione et angeli et alii sancti Deum glorificabant, qui ita suos remunerat.

Queritur: Cum dicat se omnes esse in visceribus Jhesu Christi cupere, quomodo omnes dicat, an videlicet de omnibus id velit, cum inter eos quidam fortasse sint pessimi lecatores. Dicit philosophus,[156*] quia hoc etiam de aperte malis debet velle, quos tamen dampnandos esse ignoret.[b] De quibusdam tamen magis et de quibusdam minus bene velle debet.[c] Quanto enim aliquem meliorem esse cognoscit, tanto magis debet velle, ut ei melius sit. At vero videtur, quod de iniusto[d] magis quam de iusto melius velle debeat et maius gaudium de conversione illius ad Deum habere, cum angeli etiam dicantur habere maius gaudium super uno peccatore penitentiam agente, quam supra nonaginta iustis.

Dicit, quod hoc omnino falsum est et, quod angeli dicuntur

---

[a] est] *inter lineas* [b] quos—ignoret] *inter lineas* [c] bene velle debet] *inter lineas* [d] iniusto] *syllaba* in *inter lineas*

[156*] Cf. *Sent. Herm.*, c. 32 (PL 178, 1748D sq.); *Sent. Rol.*, 319 sq.

maius habere gaudium super uno peccatore, non est aliud nisi eos maiorem admirationem habere de subita conversione unius etiam[a] peccatoris ad Deum, quem tamen vel sibi vel aliis sanctis vident adequari, quam supra multitudine iustorum, qui semper in bono fuerunt, quibus tamen ille quasi novissimus adequatur. Erunt enim et primi novissimi et novissimi primi. Hec autem ammiratio in mente angelorum consistit, sicut etiam, cum dicitur alibi, quando vidimus te nudum, esurientem, sitientem et sic vel sic, et non ministravimus tibi.[697] Et iterum alibi: Nobis, qui portavimus pondus diei et estus, eos fecisti pares.[698] At ille: Amice, non facio tibi iniuriam.[699] Numquid enim oculus tuus nequam est et ego bonus?[700] In omnibus istis hec murmuratio in verbis non erit in alia vita, sed erit in mente fidelium tamquam quedam ammiratio. Quod enim dicitur: Quando vidi te sic vel sic et non ministravi tibi, non est nisi[b] eum ammirari, quod pro tam parvo et quasi nichilo, quod hic fecerit, tantam suscipit beatitudinem, que, quanta sit, hic non credebatur.

Item, quod dicitur: Numquid oculus tuus nequam est, tale est, acsi dicatur: Oculus tuus nequam est, id est non est ęqualis premio iustorum, qui putabas me secundum longitudinem temporis vel dilectionis remunerationem solvere.

"Scire autem". Post laudem illorum de tribulatione sua supponit, ut et ipsi in tribulationibus suis exemplo sui confortentur et sint constantes, dicens suas tribulationes ad utilitatem sui et ad crementum ewangelii contigisse et ideo gratulentur.[c] Et hoc est "scire autem" etc., id est vobis manifesto, ut et vos gaudeatis, quia videlicet ea, que "circa" etcetera, id est tribulationes, que michi acciderunt, "vene-
144v runt", id est contigerunt, || "ad profectum," id est ad augmentum ewangelii. Et hoc "ita, ut" videlicet "vincula mea manifesta fierent in Christo", id est pro Christo, pro quo

[a] unius etiam] *inter lineas* [b] nisi] *inter lineas* [c] et ideo gratulentur] *inter lineas*

[697] Matth. 25,44 [698] Matth. 20,12 [699] Matth. 20,13 [700] Matth. 20,15

patior. Manifesta, dico, "in omni pretorio et in omnibus ceteris", locis videlicet, quia omnes loquuntur de me, qui ita constans sum in Christo.

Item, ut etiam "plures" etc., id est propter vincula mea, quem ita constantem vident remoto omni timore Christum secure predicarent.

"In Domino confidentes", id est in Domino fiduciam habentes, "vinculis meis", id est propter vincula mea. "Verbum Dei", id est ewangelium.

"Quidam". Plures, dico, de fratribus confidentes in Domino. Sed etiam "quidam propter invidiam", quia videlicet invident michi. "Et contentionem", id est contendentes venire ad hanc gloriam meam, de qua loquuntur omnes.

Item "quidam propter bonam" etc. Item "quidam ex caritate", id est pro[a] privata etiam[b] dilectione, quam habent erga me.

"Scientes", id est attendentes, "quoniam positus sum", id est incarceratus sum, "in defensionem ewangelii", id est, quia defendebam ewangelium. Vel "positus sum", id est constitutus a Deo tamquam fundamentum post Christum, "in defensionem ewangelii", id est ad defendendum ewangelium in causis reddendis, in quibus alii deficiebant, sive de Trinitate, id est de distinctione personarum, quid videlicet Pater, quid Filius, quid Spiritus Sanctus, sive etiam quare cum ewangelio lex vel legis observantie tenende non sint. Alii quippe, etsi melius fortasse predicarent, non ita sustinebant causas reddere, quare videlicet hoc oporteret fieri, illud vero non oporteret.

"Quidam autem". Quasi dicat: Etiam quidam "ex contentione", id est, ut contentiones moveant adversum me, "annuntiant", id est predicant Christum, "non sincere", id est non bona intentione,[c] "existimantes", id est putantes, sic "suscitare" etc., id est augere pressuras michi vincto.

"Quid enim". Acsi diceret: Ita omnes predicant Christum sive ex contentione sive ex amore, sed bonum est, quocumque

---

[a] pro] *inter lineas* [b] etiam] *inter lineas* [c] "non sincere"—intentione] *inter lineas*

modo predicetur Deus,[a] quia "quid est" etc., id est quam bonum est, ut videlicet Christus predicetur, "sive per occasionem", eorum videlicet, qui se ex contentione ingerunt, "sive per veritatem", id est bona intentione. "Et" ita "in hoc gaudeo", sed etiam semper "gaudebo". Et merito, quia "scio", quod videlicet hec omnia cooperabantur michi in bonum[701] et hoc "per vestram orationem" et per "subministrationem spiritus", id est Spiritu Sancto sumministrante per Christum Jhesum. Et hoc "secundum expectationem" etc., id est secundum spem meam, que est expectatio, que videlicet me secure expectare facit, quia videlicet "in nullo", quod expecto, "confundar". Ille in expectatione sua confunditur, qui, quod expectat, non adipiscitur. Veluti impii, de quibus dicitur: Spes impiorum peribit.[702] Sed "in omni fiducia". In nullo, inquam, confundar, imo potius "in omni fiducia", quam videlicet de me habeo ad Deum, "magnificabitur", id est glorificabitur, ita etiam "nunc", quemadmodum "semper" "in corpore" etc., id est per memetipsum sive per meam carnem.[b]

"Michi enim". Et merito[c] per vitam sive per mortem, quia "Christus vivere michi est", id est vita michi est, per quem videlicet vivo habens dona illa per eum a Deo, quibus fidelis anima Deo vivit. Vel etiam propter quem vivo, ut supra. Vivo autem iam non ego, sed vivit in me Christus.[703] Et iterum "mori" est michi "lucrum", quia miserie iste mee, quas in corpore sustineo, finientur et ad vitam illam transibo. Mali vero in morte dampnum habent, non lucrum, qui de minoribus penis et transitoriis ad maiores et perpetuas transeunt.

"Quod si". Quasi dicat: Mori michi lucrum est, sed tamen, "si vivere in carne hic", id est in hoc mundo, "est michi fructus operis", id est utilitas quantum ad vos, quibus adhuc

---

[a] Deus] *inter lineas* [b] potius—carnem] *inter lineas et in margine*
[c] Et merito] *inter lineas*

---

[701] Rom. 8,28 [702] Prov. 10,28 [703] Galat. 2,20

sum necessarius. Si hoc est, inquam, quod quidem est, ecce "quid", id est quod istorum, "eligam, ignoro", quamvis tamen michi melius esset mori quam vivere. Et vere ignoro, quia "e duobus coarctor", an videlicet vivam, an moriar. Ego, dico, "habens desiderium dissolvi et cum Christo esse", qui istud tolerarem propter illud, quod amo. Cum enim se velle dissolvi dicat et esse cum Christo, non tamen vult dissolvi, sed istud toleraret propter illud, quod appetit. Unde supra: Nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur, quod mortale est, a vita.[704]

"Multo enim". Desiderium, dico, habens, quia hoc "multo melius" est michi, sed "in carne permanere" adhuc "necessarium" est, id est utile est, "propter vos", ut videlicet vos proficiatis.

"Et hoc confidens", quod videlicet vobis necessarius sum, "scio", quia videlicet adhuc "manebo et" etiam "permanebo", id est diu manebo, "omnibus vobis ad profectum vestrum", id est ad utilitatem vestram, et "gaudium fidei" in vobis, "ut" videlicet "gratulatio vestra", id est gaudium vestrum, "habundet in Christo", id est per Christum Jhesum, "in me", id est per me, et hoc "per meum" etc. Sed interim "conversamini tantum digne ewangelio", id est conversatio vestra digna sit ewangelica doctrina, id est talis, ut ewangelio respondeat. Et hoc ita conversamini, "ut" videlicet "sive cum venero" etc., "in uno spiritu", id est in caritate uniente vos, et ita "unanimes", id est unius voluntatis. "Collaborantes", id est simul laborantes alter alterum invicem iuvans et hoc totum in fide ewangelii, id est per fidem ewangelicam.[a] "Et", id est etiam, "in nullo" etc. "Vobis autem causa salutis", quia omnia cooperantur sanctis in bonum, et "hoc" non a vobis, sed "a Deo".

"Quia vobis". Bene dico, ut in nullo terreamini, quia hoc etiam "donatum vobis est in Christo", id est per Christum, "ut" videlicet "non solum" etc.[b]

---

[a] et hoc—ewangelicam] *in margine* [b] hoc etiam—etc.] *in margine*

---

[704] 2 Cor. 5,4

[Cap. 2.]

"Si qua ergo". Dixit apostolus: Cupio vos omnes esse in visceribus Christi Jhesu, id est, ut non solum sitis de curia illius, sed de secretioribus amicis illius. Et vos, ut ad ista viscera Christi veniatis, ergo perseverate in eo, quod percepistis. Et hoc est: "ergo, si qua consolatio", id est per eam consolationem vos coniuro, quam adeo expectatis, "si quod consolatium caritatis", id est per eam caritatem, quam erga nos[a] habetis, que nos invicem consolatur, ut propter amorem meum etiam vobis de peccatis provideatis, ne me ad tristitiam provocetis.

Unde, cum abatissa Paracliti persuaderet suis virginibus, ut sibi de culpis precaverent, dicens: Ecce, quia ego non solum morior in me ipso, si peccavero, sed et in singulis vestris mors mea imminet, si peccaveritis, pro Deo providete vobis et michi, ne in vobis moriar, bene una illarum respondens ait: Domina, etiamsi propter Deum non esset, saltem propter te in proposito nostro permaneremus. Ita et apostolus, ut etiam propter amorem suum perseverent in eo, quod erant, rogat. Et hoc est, ut diximus, "si quod consolatium caritatis", id est[b] per illam caritatem, quam erga me habetis, coniuro vos. Et iterum "si qua societas spiritus", id est per eam dilectionem, quam ad alios habetis vel invicem tamquam vinculum, quo sociemini.

Item, "si qua viscera miserationis", id est per misericordiam Dei, quam vobis fieri desideretis pro culpis vestris, si quas feceritis. Et appellat viscera affectum misericordie, miserationem effectum ipsius. Unde dicitur Deus miserator et misericors.[705] Misericors affectu, miserator effectu. Quod ergo dicit: "si qua viscera", tale est, acsi dicatur: Per misericordiam Dei coniuro vos, sicuti eam vobis vultis in effectum prodire pro delictis vestris.

[a] nos] *inter lineas* [b] id est] *inter lineas*

[705] Psalm. 85,15

"Implete", quasi dicat: Per omnia ista coniuro vos: "implete gaudium", id est perseverate in eo, quod accepistis, ut gaudium meum plenum sit in vobis. Et quomodo? Ita videlicet, "ut idem sapiatis", non sit scisma in vobis. Et hoc "eandem caritatem habentes", que omnia removet scismata. Et ita "unanimes", quasi unius anime, id est unius voluntatis. Quod exponit "id ipsum sentientes", id est idem. "Nichil per contentionem". Idem, dico, sentientes et "nichil per contentionem", id est non contendentes invicem. "Neque per inanem gloriam", id est non existentes cupidi glorie[a] inanis, unde omnis contentio et omnis pugna.[b] Unde supra: Non efficiamur inanis glorie cupidi,[706] id est alicuius terrene prelationis vel potestatis, ut gloriemur, que gloria inanis est. Quod parum attendunt illi, ut supra meminimus,[c] qui de dextra domini pape contendunt, quis eorum dexter sedeat, nolentes reminisci honore invicem prevenientes: et, qui se humiliat, exaltabitur, et, qui se exaltat, humiliabitur.[707] At vero, si aliquis illorum alteri diceret: Frater non tecum contendam, sed tu sedem habeto, quia revera longe dignior es, et hoc dicens inciperet inferiorem locum tenere, dominus apostolicus, quantumcumque perversus, non hoc permitteret, imo illi[d] diceret: Amice, ascende superius,[708] ut secundum regulam ewangelii, qui se humiliat, exaltetur, et econtra iste, qui se exaltavit, humilietur.

In vitis patrum legitur de duobus, quod unus ab altero querebat, quomodo homines contenderent in seculo, et eum hoc doceret. Et ille statim, qui magis seculum noverat, laterem accepit unam et ponens eam in medio, ait: Hanc laterem dicam meam esse[e] et tu negabis. Sit, inquit, ita. Ille vero, cum ceperit dicere: Mea est, alter, qui nec etiam sciebat contendere, ait: Si tua est, et tua sit. Si ergo tales essent, qui de latere domini apostolici contendunt, mutuo sibi dicerent: Si tua est sedes, et tua esto. Et hoc est nichil

[a] glorie] *inter lineas* [b] unde—pugna] *inter lineas et in margine* [c] ut supra meminimus] *inter lineas* [d] illi] *inter lineas* [e] esse] *inter lineas*

[706] Gal. 5,26 [707] Matth. 23,12; Luc. 14,11; 18,14 [708] Luc. 14,10

"per contentionem", nichil per inanem gloriam. Imo potius "in humilitate mentis" etc., id est[a] unusquisque vestrum se humilem prebeat non solum extra in habitu, sed et intra in mente. Et semper alterum superiorem se arbitretur omnibus modis sollicitus et de honore alterius et de utilitate. Quod caritatis est, que semper ad alterum est, quia semper se ad alios extendit, ut possit esse caritas, numquam querens, que sua sunt,[709] sed, que alterius. Et hoc est, quod supponit: "non, que sua sunt, singuli considerantes" etc., id est nemo vestrum de sua utilitate cogitet, sed semper de utilitate aliorum, quia: iacta cogitatum tuum in Domino[710] et ipse utique de te cogitabit, ut sic semper alteri vivatis et hoc exemplo Domini nostri Jhesu Christi, qui semper nobis vixit
145r et non sibi, nobis profuit et non sibi, de || nostra semper salute sollicitus, qui, quod de nobis habuit, vile fuit et abiectum, carnis nostre vilitate indutus, in omnibus exemplum humilitatis nobis proponens, de cuius humilitate dicitur: Qui maior est Johanne, minor est in regno celorum,[711] id est humilior, qui etiam usque ad adiecta officia pedissecarum condescendit, qui pedes discipulorum lavit, qui et mensis amministravit, quia, ut ait, non veni ministrari, sed ministrare.[712] Quod abbates non multum attendunt, qui potius amministrari quam amministrare veniunt in omnibus Christo contrarii.

Et hoc est "hoc enim sentite", id est hanc Christi humilitatem et eius providentiam erga alios, "sentite", id est habete per experientiam in vobis. Quam videlicet humilitatem vel sollicitudinem aliorum in ipso novistis, ad quem tamquam ad caput nostrum semper respicere debemus, ut eum, quantum possumus, imitemur. Oculi enim sapientis semper in capite sunt,[713] non in pede, non in dorso sicuti oculi insipientis. Sapiens enim semper ad superiorem respicit et ita ex bono, quod in se recognoscit, in elationem non venit. Stultus vero ad inferiorem semper respectum habet et ita

[a] id est] *inter lineas*

[709] 1 Cor. 13,5 [710] Psalm. 54,23 [711] Luc. 7,28: Qui autem minor est in regno Dei, maior est illo. [712] Matth. 20,28 [713] Eccle. 2,14

sepe in superbiam prorumpit. Respectus itaque ad superiores humilitatem, de qua hic agit apostolus, conservat, ad inferiores vero non solum eam aufert, verum et infert superbiam. Veluti in puplicano et phariseo factum est. Phariseus enim non habens oculos in capite ad puplicanum respexit vitam eius considerans longe sua inferiorem. Et ita ex bono, quod in se recognovit et in illo non, in elationem prorupit. Si vero ad superiores respexisset veluti ad Abraam, Ysaac, Jacob, patres suos, quos longe meliores et excellentiores recognoscebat, in superbiam utique non venisset. Et ideo, O homines, ad caput vestrum, id est Christum, saltem[a] respicite, qui sibi non vixit, sed nobis, ut videlicet oculi nostri semper sint in capite.

"Qui", scilicet Christus, id est, in quo Christo verbum unitum homini in personam unam, id est filius Dei, "cum esset in forma Dei", id est in proprietate Dei, hoc est integer Deus, quemadmodum Pater. Per formam enim integritas rei et perfectio monstratur. Unde rationalitas et mortalitas perfective hominis dicuntur, quia integrum hominem reddunt. Ita et in illo, sicut et in Patre, ea sunt, que ad integritatem Dei et perfectionem conveniunt. Sicut enim Pater eternus, omnipotens, invariabilis, ita et Filius.

"Non rapinam" etc., id est ex eo rapinam non[b] fecit, quod se Deo videlicet[c] Patri equalem per omnia arbitratus est. Non enim divinitatem usurpavit, quia, quod suum erat, sibi ascripsit, non, quod alienum, cum ipse sit Deo equalis per omnia.

"Sed exinanivit". Ita fuit in forma Dei, sed tamen propter nos "exinanivit", id est evacuavit se, non tamen, quod prius habuit, amittens, etsi, quod primitus non haberet, assumens. Hec enim evacuatio non fuit nisi in occultatione sui in vilitate carnis nostre, in qua se occuluit et fulgorem sue super eminentie contemperavit. Hoc enim est electrum illud, quod videt Ezechias in medio ignis.[714] Est autem electrum que-

[a] saltem] *inter lineas* [b] non] *inter lineas* [c] videlicet] *inter lineas*
[d] sit] *inter lineas*

[714] Ezech. 1,4

dam mistura compacta ex auro et argento. Sepe enim metalla aliis permiscentur veluti plumbum stagno in fabricandis cimbalis, ut melius sonent, sicut et monete ipse fiunt ex permistione metallorum. Ita et electrum ex auro et argento compactum est, in quo aurum, quod est fulgidius metallum et longe melioris nature et omnino imputrescibilis, contemperatur per ammixtionem deterioris metalli, id est argenti, quod, cum sit multo inferioris nature, ex auro ipso, quod longe excellentius est, commendatur. Hoc autem electrum Christus est,[a] qui ex duabus naturis compactus est, in quo aurum imputrescibilis nature, id est divinitas, que indeficiens est, se contemperavit et humanitatem, que longe inferioris dignitatis est, commendavit. Si enim divinitas in eo fulgore, in quo angelis apparet, nobis appareret, nos potius, ut beatus dicit Gregorius,[715] incenderet quam illuminaret sive reformaret.[b] Et ideo ad nos calciata venit divinitas, id est calceo suo, hoc est humilitate, vestita et, cum in natura sui invisibilis fuerit, nobis tamen quodam modo se visibilem prebuit contemperando tamen et occultando excellentiam sue claritatis, ne nobis potius obesset quam prodesset, qui videlicet in hac vita[c] lucem illam et nimium fulgorem inspicere non sufficeremus, quia, ut ipsa ait divinitas, non me videbit homo et vivet.[716] Et hoc est "exinanivit", id est se occuluit, "accipiens formam servi", id est, cum esset dominus omnium, "formam servi", id est hominis, qui ad servitium Dei creatus est, accepit.[d] Et, ne videretur, quod ita acciperet eam, quod non sibi uniret, addit "factus in similitudinem hominum", quasi dicat: Ita accepit, quod eam etiam vestivit uniens sibi in personam unam. Et hoc est "factus in similitudinem hominum", id est uniens sibi in

---

[a] est] *inter lineas* [b] sive reformaret] *inter lineas* [c] in hac vita] *inter lineas* [d] accepit] *inter lineas*

---

[715] Gregorius Magnus, *Homiliarum in Ezechielem, lib.* 1 hom. 1 n. 14 (PL 76,801 sq.): Illa enim natura immutabilis, que in se manens innovat omnia, si ita, ut est, nobis apparere voluisset, fulgore suo nos incenderet potius quam renovaret. Cf. etiam Augustin., *De Genesi ad litteram, lib.* 12 c. 35 (PL 34,483). [716] Exod. 33,20

personam unam humanam naturam ceteris similem. Et iterum, quod vera fuerit similitudo hominis, quam assumpsit, monstrat, quia integrum hominem induit secundum corpus et animam. Et hoc est "et habitu inventus ut homo". Habitum humanitatem appellat, quam ipse tamquam habitum veluti capam vestivit, quasi dicat: Et in hoc habitu, id est in assumptione humane nature inventum, probatum est eum integrum hominem assumpsisse. Et ita "humiliavit semetipsum", id est condescendit[a] usque ad nos per assumptionem vilitatis nostre nature. Et hoc est "factus obediens", id est uniens sibi in personam unam humanam naturam obedientem. Veluti paulo ante: Factus in similitudinem hominum.[717] Obedientem, dico, "usque ad mortem". Et ad[b] quam mortem? "Mortem autem crucis", id est mortem probrosam et ignominiosam, qua nulla ignominiosior erat. Unde dicitur: Et morte turpissima condempnemus eum.[718] Queritur, an Christus meruerit quicquam?

Ita, inquit.[157*] Vitam videlicet eternam vacuam ab omni afflictione et dolore, quam post resurrectionem adeptus est, cum factus fuerit immortalis et omnino impassibilis et beator, quam fuerit ante resurrectionem, quando mortalis et passibilis erat miseriis et afflictionibus cotidie subiacens.

"Propter quod", id est propter quam obedientiam, "exaltavit", id est sublimavit illum, id est illum etiam hominem in Christo hoc modo, scilicet "donavit", id est notitiam, que videlicet, ut solent dicere, sepe per nomen accipitur,[c] et dedit illi excellentem, que est super omnem notitiam alicuius creature, ut videlicet in notitia Jhesu, id est salvatoris, "omne genu flectatur" etc., id est[d] omnia illi humilientur celestia, terrestria et inferna. Saltem enim in alia vita, etsi aliqui modo ei resisterent nec eum recognoscere volunt, velint etiam nolint, eum tamquam Dominum omnium recog-

---

[a] condescendit] *syllaba* de *inter lineas* [b] ad] *inter lineas* [c] que—accipitur] *inter lineas et in margine* et *add.* [d] id est] *inter lineas*

---

[717] Philipp. 2,7 [718] Sap. 2,20

[157*] Cf. *Sent. Flor.*, 19; *Sent. Rol.*, 180 sqq.

noscent et ei subicientur, quem in tanta maiestate venire ad iudicium viderint.

"Et omnis". Flectatur, dico, et ita, ut "omnis" etiam "lingua confiteatur", id est omnis rationabilis creatura, quia "Dominus Jhesus Christus in gloria", id est in eterna beatitudine.

"Itaque". Quasi dicat: Christus, ut diximus, factus est obediens usque ad mortem et vos, fratres, "ita", id est ad exemplum illius obedite, subaudis, "sicut semper obedistis". Et hoc non solum "in presentia mei", sed "multo" amplius, quando absens sum. Absentia enim amicitiam probat et obedientiam.

Et "operamini vestram salutem", id est ea, que ad salutem vestram spectant. Et hoc "cum metu". Sed metum dividit et hoc est "timore" et "tremore", id est, ut sicut exhibetis verbis, ita et habeatis in mente.

"Deus enim". Dico, operamini, et debetis et potestis, quia Deus est, qui operatur" etc., id est, qui in vobis creat et bonam voluntatem et eam ad effectum perducit et hoc non meritis vestris, sed "pro bona" sua videlicet "voluntate".

Et "omnia facite sine murmurationibus", ut videlicet contra Deum non murmuretis, quicquid vobis acciderit tamquam dicentes: Istud non meruimus. "Et hesitationibus", id est ne diffidatis, "ut" ita "sitis sine querela" apud omnes, ut videlicet nemo de vobis conqueratur. "Et simplices filii Dei", id est Deo adherentes simplici intentione, non duplici. Multi enim sunt, qui Deo adherent vel timore pene vel spe alicuius commodi in Deo sua potius querentes quam Deum. Hii autem dupplices, non simplices, qui Deum causam suppremam non ponunt, id est finem omnium, quecumque faciunt. Veluti in preterito anno, cum maxima imminente fame pauperes per terram suam consul Theobaldus, qui et ipse plus quam decem milia pauperum procurabat cotidie, procurari preciperet et militibus suis et purgensibus numerum pauperum unicuique secundum suam facultatem assignaret. Multi in werra illa pauperum manutenenda contra

famem dupplices erant,[a] qui videlicet potius timore principis, ne sua amitterent, id faciebant, quam pura intentione propter Deum.

"Sine reprehensione", id est irreprehensibiles permanentes, et hoc "in medio prave" etc., id est inter pravos et perversos, de quo superius, quia dies mali sunt. Pravi sunt in se, perversi vero quantum ad alios, quia eis non sufficit, ut soli ad inferos vadant, nisi alios secum trahant. Veluti heretici faciunt vel pseudoapostoli, qui sua doctrina alios pervertunt.

"Inter quos", scilicet pravos et perversos, iam vos "lucetis sicut luminaria in mundo", id est resplendetis et vita et doctrina, ut alios etiam illuminetis. Vos, dico, "continentes", id est retinentes,[b] "verbum vite", quod videlicet ad vitam ducit. Multi autem sunt, qui non continent, sed in transitu habent, ut videlicet, cum unam aurem intret, statim aliam exeat. Illi vero continent, qui in memoria habent et sepe ruminant verbum Dei, quo satientur, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.[719] Hii autem sunt[c] animalia fissas ungulas habentia et ruminantia,[720] que munda sunt in lege, que sepe ad os reducunt cibum, quem semel receperunt.

"Ad gloriam". Quasi dicat: Et hoc "ad gloriam meam in die Christi", ubi videlicet vos et alii mea adquisitio apparebitis ad glorificationem mei, qui vos Deo adquisivi. Ideo et nos, qui de gentibus sumus conversi, specialiter super omnes sanctos post Christum glorificare debemus apostolum et eius sollempnitatem maxime colere, qui specialiter noster apostolus est et doctor, cui post Christum, quod Christi sumus, debemus.

"Quia non". Bene dico: Ad gloriam meam, quoniam ego "non in vacuum" etc. Cursum habuit in illis, quos facile ad Deum convertebat; laborem vero in eis, quos cum magna difficultate, veluti in philosophis, qui rationibus suis muniti || 145v
legem nostram vehementius impugnabant. "Sed et si".

---

[a] erant] *inter lineas* [b] id est retinentes] *inter lineas* [c] sunt] *inter lineas*

---

[719] Matth. 4,4; Luc. 4,4; Deut. 8,3 [720] Cf. Deut. 14,6

Laboravi, dico, et propter vos et propter alios. Sed tamen, si etiam me ipsum super omnia immolavero, bonum est michi de mea videlicet immolatione propter vos super illa sacrificia, que iam feci. Et hoc est: "Sed et si immolor", id est meipsum immolo, "supra sacrificium et obsequium fidei vestre", id est ex eo, quod ad fidem vos converti, "gaudeo et congratulor omnibus vobis", quia et vos similiter inde gratulari debetis. Et hoc est, quod supponit "Id ipsum autem" etc. Ecce que gramatica, quasi dicat: Propter id ipsum gaudere debetis et gratulari mecum. Et ut de me gaudeatis et ego de vobis cognitis his que circa vos, et vos, [que cir]ca me aguntur.[a]

Ecce in proximo "spero in Domino", id est per Dominum. "Bono animo sim", id est securus sim de vobis. Iste enim de illis semper timebat, sicuti de aliis omnibus, qui videlicet habebat sollicitudinem omnium ęcclesiarum.[721]

"Neminem enim". Et merito istum volo ad vos mittere, quia nullum habeo, qui tantum michi concordet et qui vos tantum diligat. Et hoc est[b] "qui sincera" etc., id est qui tantum de vestra salute cogitet et hoc pura intentione querens vos, non vestra, quales pauci sunt, quia "omnes, que sua sunt, querunt". Et utinam sua, quia etiam aliena usurpant, sed sua iudicant, quecumque habere volunt. Sua, dico, querunt, et "non, que Christi", id est non ea, que ad honorem et glorificationem Christi spectant.

"Experimentum autem". Acsi diceret: Ego neminem tam unanimem habeo. Et vos "cognoscite experimentum", id est, cum ad vos venerit, poteritis cognoscere eum, quem ego ita expertus sum, "quoniam" videlicet "sicut patri filius" etc., id est amore, non timore vel lucro alicuius terreni commodi.

"Hunc igitur". Quia talis et tantus est iste, igitur "hunc", id est tantam personam, "spero" etc., statim, "ut videro",

---

[a] cognitis—aguntur] *in margine* [b] est] *inter lineas*

---

[721] 2 Cor. 11,28

id est postquam intellexero, quis erit finis de mea incarceratione, de qua iam spero evadere, quia "confido in Domino", id est per Dominum, "quoniam veniam" etc.

"Necessarium autem". Quasi dicat: Thimotheum spero me mittere, sed ante illum "Epafroditum necessarium", id est utilem michi et vobis, "fratrem" fidelem in Domino, "cooperatorem" in ewangelio, "commilitonem" in laboribus, "vestrum autem apostolum", quia illis predicaverat; "ministrum mee necessitatis", quia illi ministrabat in carcere querendo ei necessaria. Hunc autem prius "existimavi mittere ad vos", quia et ipse "vos omnes" videre "desiderabat" et mestus, id est tristis, "erat, propterea" etc., id est de tristitia vestra, quam habuistis de infirmitate ipsius, de qua audieratis, quoniam et ipse utique[a] "infirmatus est" etc. "Ne tristitiam super tristitiam haberem", id est, ne de morte illius contristarer, qui iam de infirmitate eius contristatus eram.

Queritur, quomodo apostolus hanc habere debuit tristitiam de morte illius, si esset, sive de infirmitate, que fuit, quam Deo placere intelligebat, cum videlicet nemo velle debere videatur, quod Deus non velit.

Dicit philosophus,[158*] quod unusquisque debet dolere de dolore proximi et compellente caritate, quamdiu in hac vita est, hos motus irrationabiles habere,[b] ut semper velimus, quod Deus nullatenus velit. Veluti cum Deus istum proximum nostrum ad mortem disposuerit, eum tamen debemus velle salvari constricti etiam precepto, quod est: dilige proximum tuum sicut te.[722] Et hanc voluntatem irrationabilem, quam habemus volentes hunc salvari, quem Deus vult dampnari, caritatem appellat, quam Deus in nobis esse approbat.

Queritur, an sit divine voluntati contraria.

---

[a] utique] *inter lineas* [b] habere] *inter lineas*

---

[722] Matth. 19,19; 22,39; Marc. 12, 31,33.

[158*] *Sent. Herm.*, c. 20 (PL 178,1727)

Nequaquam,[159*] inquit, quamvis de contrario sit. Eam enim esse contrariam esset eam Deo omnino displicere.

"Festinantius ergo", quia videlicet tantum vos desiderabat. "Ergo festinatius", id est cito et etiam ante Thimotheum, "ut" videlicet, non dico, audito, imo "viso eo iterum", sicuti prius, "gaudeatis, et ego" etc., qui contristatus sum super tristitia vestra, quos de infirmitate illius tristis esse audieram.

"Excipite itaque". Et quia misi eum ad vos, qui vos tantum desiderabat et quem vos tantum diligitis,[a] "igitur excipite", id est suscipite, "illum cum omni gaudio", id est mentis hilaritate, et hoc "in Domino", id est tamquam Dominum, qui dicit, quia, qui unum ex minimis meis suscipit,[b] me suscipit.[723] Et "huiusmodi", hominem, subaudis, "habetote" apud vos "cum honore", id est cum magna reverentia. Et merito, quia "propter opus Christi", id est, quod Deus approbat et ad gloriam eius spectat, "accessit usque ad mortem", id est appropinquavit "tradens animam suam", id est ponens se sub periculo mortis, "ut" videlicet "tradens animam suam", id est ponens se sub periculo mortis, "ut" videlicet "impleret", id est perficeret, "id, quod deerat vobis", id est, quod vos debueratis facere, et hoc "erga meum obsequium", id est propter meum servitium, ut videlicet michi ministraret. Hii enim, cum istum apostolum cum suis beneficiis ad ministrandum ei mitterent, in via fere ab hostibus periit.

---

[a] et quem—diligitis] *inter lineas* [b] suscipit] *inter lineas*

---

[723] Cf. Matth. 18,5

[159*] *Sent. Herm.*, c. 1 (PL 178,1695).

[Cap. 3]

"De cetero", id est insuper, supra videlicet ea, que dicta sunt, istud dico, quod videlicet "gaudete". Quasi dicat: Quicquid sit de mea tribulatione vel vestra, semper spem vestram et fiduciam in Domino ponatis. Et ego rursus "eadem", que videlicet presens dicebam, cum modo absens sim, "non est pigrum", id est facile est, "scribere, vobis autem necessarium", id est utile.[a]

Et ecce, quod scribo, quod idem presens dicebam: "Videte canes". Canes, ut Ysodorus ethimologiarum[724] astruit, inter universa animantia nomen suum magis recognoscunt. His autem pseudoapostolos comparat, qui nomina sua querunt in terra[b] magnificari et cognosci ab hominibus. Ab his ergo dicit: "Videte", id est providete, ut, quantum potestis, ab huiusmodi caveatis, qui nomina sua in terris edificant, quos et malos operarios appellat, quoniam prava sua doctrina alios pervertunt. Et hoc est videte "malos operarios," qui videlicet super triticum Domini zizania superseminant. Et iterum videte "concisionem", id est illos eosdem, qui vos volunt a me concidere sive a doctrina Christi, ut illos imitemini inducendo circumcisionem et ceteras legis observantias, quas dicunt necessarias esse. Sed, fratres, ne eis adquiescatis, quia "nos sumus circumcisio", id est spiritualiter circumcisi. De qua circumcisione supra. Et circumcisio, inquit, cordis, spiritu non sit, tamen cuius laus non est ex hominibus, sed ex Deo. Et hoc est, quod supponit: "qui" videlicet "servimus Deo spiritu", id est amore, non timore, sicut illi, qui circumcisi carnaliter erant, faciebant.

"Et" ita "habentes gloriam" nostram "in Christo Jhesu", qui ad salutem nostram sufficit, "et non" habentes "fiduciam in carne", id est in eis, de quibus carnales confidunt. Absit

---

[a] utile] utilem   [b] in terra] *inter lineas*

---

[724] *Etymologiarum lib.* 12 c. 2 n. 26 (PL 82,438)

enim michi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jhesu Christi,[725] ubi videlicet animadverto, quanti pretii sim, pro quo tantum pretium datum est.

"Quamquam ego". Dico: Non habentes in carne fiduciam, quamvis tamen et ego "habeam confidentiam", id est in carne mea id, de quo alii confidunt et magis etiam quam illi, quia "si quis alius videtur confidere", id est illud, de quo secundum carnem confidat, "ego" utique "magis", quia ego "octavo die circumcisus" non ut proselitus, qui se circa XXti annos, vel etiam plures, sicuti est, quando venit, circumcidit.

Item "ex genere Israel", id est Jacob, non Esau. Item "ex tribu Beniamin", de qua tribu fuit primus rex in Israel. Item "hebreus ex hebreis", patre videlicet et matre. Hebreus ab Abraham, quasi Abrahemus, non ab Heber, ut quidam volunt.[726] Item "phariseus secundum legem", id est divisus ab aliis et separatus in vita, id est singulariter vivens, quasi dicat: De numero phariseorum, qui tunc temporis singulariter viventes tamquam monachilem vitam ducebant. Pharisei enim quasi monachi illius temporis erant. Sicut enim Josephus[727] dicit, tres secte, quas hereses appellat, id est electiones in lege erant: Pharisei, Saducei, Essei, de quibus ewangelium non loquitur, quos Josephus miseris laudibus effert. Pharisei autem singulariter vivebant et separatim unusquisque et erant tamquam anachorite. Essei vero in communi vivebant quasi cenobite[a] et conventus habebant dispersi per villas, per opida, per civitates tamquam monachi huius temporis et erant mirabiles, nisi quod in mane solem adorabant. Saducei autem de futura vita nichil sperabant et pro insanissimo habebant, qui de resurrectione mortuorum quicquam predicabat.

"Secundum emulationem". Quasi dicat: Ego dico: "persequens", id est destruens, "ecclesiam ei" et hoc "secundum

---

[a] quasi cenobite] *inter lineas*

---

[725] Gal. 6,14 [726] Cf. Haimo, *Expositio in epistolas S. Pauli. In epist. secundam ad Cor.* c. 11 (PL 117,654). [727] Flavius Josephus, Ἰουδαϊκὴ ἐζχαιολογὶα, XIII 5,9

emulationem", id est propter magnum fervorem, quem habebam de lege mea. Est enim emulatio sive zelus magnus fervor animi ad aliquid agendum. Et est alius bonus et alius malus. Eiectis enim ementibus et vendentibus a templo recordati sunt postmodum apostoli, quoniam zelus domus tue comedit me,[728] id est corrodit mentem meam, ut eos a domo patris mei eicerem.

Item "conversatus sum secundum iustitiam, que in lege est", et hoc "sine querela", id est ita, quod nemo umquam de me quicquam conquestus est. Et ideo apparet, quod, si quis videtur confidentiam in carne habere, et ego magis. "Sed" tamen postmodum ea, "que michi fuerunt lucra", id est videbantur spectare ad lucrum, id est salutem anime, "arbitratus sum" et ratione mea ductus, quamvis ad hoc invitus et tractus a Deo quam documento Christi, qui michi in via apparuit, "detrimenta", id est tamquam illa, que potius a Deo detrahunt quam hominem ducunt. Quanto enim in carnalibus et in eis, que extra sunt, plus confidit, tanto minus[a] de spiritalibus et de eis, que intus sunt, cogitat. De quo supra.

Quid est, inquit, quod Israel sectando legem non apprehendit iustitiam? — Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Et hoc propter Christum, qui videlicet ad salutem sufficiens est.

"Verumtamen". Diceret aliquis: Tu quidem arbitratus es omnia detrimentum propter Christum. Sed fortasse mutasti sententiam?— Certe non mutavi, sed sum utique in eadem adhuc[b] sententia.

Continuatio: Iamdudum arbitratus sum, sed tamen et adhuc arbitror. Et hoc est "verumtamen existimo" || et adhuc 146r
"existimo omnia detrimentum esse", et hoc "propter eminentem scientiam" etc., id est propter Christum, in quo eminens fuit scientia, qui nos exteriora opera docuit non esse peccata,

---

[a] minus] *inter lineas* [b] adhuc] *inter lineas*

---

[728] Joh. 2,17; Psalm. 68,10

sed contemptus in mente.[160*] Non enim non lotis manibus manducare coinquinat hominem, sed cogitationes male, que ex corde exeunt. Et attende, quemadmodum in aliis solet fieri, quod, cum melius bonum supervenit, illud, quod primitus erat, vel parvipenditur vel pro nichilo ducitur, ita etiam in lege esse et in Christo. Cum enim ante adventum Christi lex aliquid esse videbatur et plurimum iustificationis habere, cum postmodum illa superexcellens in Christo apparuerit sapientia, ipsa lex annullata est ex toto, imo etiam detrimentum existimata. Et hoc est "propter eminentem scientiam Christi Jhesu, propter quem", scilicet Christum, "omnia detrimentum feci". Et adhuc in eadem manens sententia "arbitror" etiam "ut stercora". Et hoc totum, ut "Christum lucrifaciam", id est, in meipsum Christo non solum lucrer, sed et alios mecum, et ita "inveniar in illo" tamquam membrum in capite. Et hoc "non habens iustitiam" etc., id est non per iustitiam, que ex operibus legis provenire videbatur, que nulla est apud Deum, sed per illam iustitiam, que non est ex operibus exterioribus, sed ex fide Christi, id est, quam per Christum habemus. "Que" videlicet "iustitia ex Deo est". Et hoc "in fide", id est per fidem, "ad cognoscendum illum", id est ad coherendum illi per amorem. De qua cognitione dicit ewangelium: Nescio vos,[729] qui videlicet michi per amorem non choeretis. Et ad cognoscendum "virtutem resurrectionis", id est ad illam resurrectionem experiendam, in qua resurgentes sunt ad vitam erecti, qua virtuosi digni sunt. Dampnandi enim non eriguntur, imo deprimuntur, qui ad mortem incurvantur. Et iterum ad cognoscendam hic prius "societatem passionum", ut videlicet socii illius simus in passione, qui socii eius volumus esse in gloria. Et passiones sanctorum dicuntur eius esse, quia in eis Christus tamquam caput in membris patitur. Unde apostolus infra: Que deerant passioni Christi.[730] Suppleo: A quo et ipse audierat: Saule, Saule, quid me persequeris?[731]

---

[729] Matth. 25,12 [730] Coloss. 1,24 [731] Act. 9,4

[160*] Abaelard., *Ethica seu scito te ipsum*, c. 3 (PL 178,636 sqq.)

"Configuratus", acsi diceret: Ego dico "configuratus morti illius", hoc est factus similis illi in passionibus, ut ita, si aliquo modo possim, ad illam resurrectionem pereniam. Et hoc est ut 'si quo modo', id est, si aliquo modo possim, "occurram", Deo videlicet, id est ei sponte accedam, quia alii, velint nolint, ad iudicium tracti erunt. Occurram, dico, "ad resurrectionem, que" videlicet non est in mortuis, que est de morte ad mortem, sed que est "ex mortuis", qui videlicet de morte resurgunt ad vitam.

"Non quod". Quasi dicat: Dixi: configuratus morti illius. "Non" tamen dico hoc, "quod" videlicet "iam acceperim", id est, quod iam in me aliquid esse existimem, unde dignus sim vita illa. Quod exponit dicens: "aut", pro hoc est, "iam perfectus sim". Imo "sequor", id est[a] ad hoc nitor et tendo, quantum possum, "ut" videlicet bravium illud, ad quod vocatus sum, assequar. Et hoc est, ut, "si quomodo" possim, quia arta est via,[732] que illuc ducit, "comprehendam" illud, "in quo", id est propter quod, "comprehensus sum a Christo", id est vi tractus, cum michi in via apparuerit, qui tamquam servus figitivus eram, quantum poteram eum fugiens, quem tandem in via inveniens comprehendit.

"Fratres". Diceret aliquis, quia dixerat: Si quo modo occurram, si quo modo comprehendam, quare tamen dubitative de te ipso loqueris, quem tante perfectionis esse existimamus. Ad quod ille: "Fratres", quoniam videlicet "ego", quicquid alii de me arbitrentur, "non" adhuc "arbitror me comprehendisse", id est ad hoc venisse, ut dignus sim illius vite[b] comprehensione. Et quod alibi dicit: Certus sum, quia reposita est michi in celo corona iustitie, quam reddet michi Dominus iustus iudex in die illa,[733] nota, quoniam id ei tunc revelatum erat, quod adhuc ipse de se ignorabat, cum et tunc fortasse longe perfectioris vite esset quam modo. Et ita perit omnis oppositio.

"Unum autem". Nundum me comprehendisse arbitror, sed

---

[a] id est] *inter lineas* [b] illius vite] *inter lineas*

---

[732] Matth. 7,14 [733] 2 Tim. 4,8

tamen "unum" scio, quod videlicet ea, "que quidem retro sunt" etc., id est ad inferiores non respiciens, sed ad superiores, ut eos sequar et imiter, quia, qui se putat firmiter stare, videat semper, ne cadat.[a][734] Per quod, ut supra meminimus, humilitas servatur, superbia vitatur. Quod phariseus ille non attendens lapsus est, qui ad inferiorem, ut diximus, respiciens, statim intumuit. Et hoc est "que quidem" etc., id est ad inferiora bona non respiciens, sed semper ad superiora, ut ad ea habenda, quantum possum, meipsum extendam.

Et sic faciens "persequor", id est perfecte sequor, "ad destinatum", id est ad bravium, ut iam dicet, quod omnibus propositum est eternum. Et hoc est "ad bravium superne vocationis",etc., id est ad supernam coronam, ad quam nos omnes vocavit Deus in Christo Jhesu, id est per Christum Jhesum.

"Quicumque ergo". Quia hoc modo nitendum est ad bravium illud, posteriora obliviscendo ad anteriora semper extendendo, itaque[b] "quicumque perfecti", id est ad perfectionem illius vite nitimur, "hoc sentiamus", id est hoc modo nitamur. "Et si quid". Quasi dicat: Dixi, quod non arbitror me comprehendisse. Et vos, fratres, "si quid aliter sapitis", id est, si aliquis vestrum est, qui de se magis confidat quam ego de me, qui videlicet aliter de se dicat. Et "hoc", quod videlicet sic me convenit facere, "Deus vobis revelabit". Vel "si quid aliter", id est, si aliter de me ipso sentitis quam ego, et "hoc" tamen "Deus" etc. non mutatur. Vel "si quid aliter". Dixi, quod, quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus, id est hoc modo incedamus, ad inferiora videlicet non respicientes, sed ad superiora. Et vos, fratres, "si quid aliter sapitis", id est, si aliter quam hoc modo sentitis incedendum esse, "et hoc", id est hanc perfectionem, "Deus vobis revelabit".[c]

---

[a] quia qui—cadat] *inter lineas* [b] itaque] *itique* [c] Et vos, fratres, "si quid aliter sapitis", id est, si aliquis vestrum est—revelabit] *in margine*

---

[734] 1 Cor. 10,12

"Verumtamen". Acsi diceret: Sed quicquid sit de illa perfectione, hoc utique volo, ut fides eadem sit, ad quam iam vocati estis. Et hoc est "verumtamen", id est attamen, quicquid videlicet de perfectione illa dicam, hoc dico, "ut" videlicet "idem sapiamus", id est eandem fidem habeamus et non in ea dissentiamus. "Ad quod", id est, ad quam fidem iam "pervenimus", id est vocati sumus. Quod exponit subiungens; "et in eadem regula" doctrine "permaneamus", id est perseveremus. Et ut hoc sit, "imitatores mei estote", in fide videlicet et in ceteris bonis. "Et observate". Et non solum me imitamini, sed et illos, qui ita ambulant, sicut et ego. Et hoc est "et observate", id est imitamini et notabiles ad imitandum habetote huiusmodi, qui videlicet "ita ambulant", quemadmodum "habetis formam nostram", id est doctrinam nostram, qua informati estis. Et hic contra pseudo agit apostolos.[a]

"Multi enim". Ideo dixi: Observate eos, qui ita ambulant, quia "multi ambulant, quos sepe" presens "dicebam vobis" et "nunc" etiam "dico", ut ab illis caveatis vobis. Sed "flens", de illorum videlicet[b] obstinatione. Et quid dicebam vel dico? "Inimicos" videlicet "crucis Christi", quia crucem Christi, id est passionem eius, dicunt ad salutem non sufficere sine legis observantiis. "Quorum", id est inimicorum Christi, "finis", exitus, "interitus", id est dampnatio, "quorum Deus venter est", id est gula et ventris ingluvies, quem colunt de alio Deo non cogitantes, de quo implendo tantum occupati sunt, tamquam nulla vita post istam restet, dicentes: Edamus et bibamus; cras enim moriemur.[735] "Et" quorum "gloria", id est gloriatio, quam de temporalibus habent, erit tandem ad confusionem ipsorum,[c] id est ad dampnationem, ubi confusio sine fine. Ipsorum, dico, "qui terrena sapiunt", id est, quibus terrena saporem habent et non celestia, non sapientes, que sursum sunt, sed que super terram.

---

[a] estis—apostolos] *inter lineas* [b] videlicet] *inter lineas* [c] ipsorum] iporum

---

[735] Is. 22,13

"Nostra autem". Quasi dicat: Illorum conversatio in terrenis est, sed "nostra conversatio in celis", id est noster animus semper in[a] celestibus est, que nobis sapiunt, non terrena. "Unde", id est propter quam conversationem, "etiam" hoc solatium in hac vita iam habemus, quod videlicet secure "expectamus" etc.

"Qui reformabit corpus" etc., id est corpus nostrum, quod adhuc humile est, id est mortale et passibile, simile faciet suo corpori, id est immortale et impassibile. Et poterit? Ita utique "secundum operationem" etc., id est secundum potentiam virtutis sue, qua potens est facere quamcumque rei naturam, cum voluerit, sibi obedire.

[a] noster animus semper in] *in margine*

[CAP. 4]

"Itaque, fratres", quia videlicet nostra conversatio in celis est,[a] qui salvatorem expectamus, illorum vero in terrenis. Igitur "sic state" erecti ad eum caventes vobis undique et hoc "in Domino", id est per Dominum. Vel in Domino "carissimi".[b]

"Evodiam" etc. Rogat istos nominatim, ut caveant a talibus, quia horum doctrina et exhortatione illi precipue nitebantur, cum tamen pseudoapostolis aliqantulum assentirent. Et hoc est "rogo Evodiam et deprecor Sintichem idipsum" etc., id est idem in fide sentire. Et hoc "in Domino", id est per Dominum.

"Etiam". Et non solum illos rogo, sed etiam "te, Germane", proprium nomen. Et iterum te, "Compar", proprium similiter et uxoris illius, sicuti Origenes dicit. "Adiuva" et tu, Germane, et tu, Compar, uxor eius, "illas" scilicet sanctas mulieres, "que laboraverunt mecum in ewangelio". Apostoli autem in sua predicatione sacras mulieres et relligiosas secum habebant. Unde supra: Numquid et nos potestatem habemus sororem mulierem circumducendi sicut et ceteri apostoli. Mulieres enim, que sunt imbecillioris nature in exterioribus aministrationibus erant occupate et predicatores de suis substantiis sustentabant, quia omnes in communi vivebant. Apostoli vero et ceteri viri, qui robustiores erant,[c] predicationibus vacabant, quibus et ille sancte mulieres interim cibos preparabant.

Uterque autem ordo tam virorum quam mulierum, id est monachorum et monialium, quem et adhuc hodie in ęcclesia habemus, a Domino sumpsit exordium. Dominus enim et viros religiosos et mulieres secum habebat. Quod et postmodum apostoli fecerunt exemplo dominico. De his autem

---

[a] est] *inter lineas* [b] "carissimi"] *sequitur vacuum tertiae partis lineae* [c] erant] *inter lineas*

mulieribus apostolus meminit hoc loco, cum dicat: "que laboraverunt" etc., id est, que magnum laborem passe sunt mecum propter ewangelium sustentantes de suis substantiis predicatores.

"Cum Clemente". Adiuva illas, dico, "cum Clemente" et ceteris viris religiosis, quos similiter habuimus coadiutores. "Quorum nomina" etc., id est, qui iam ad vitam scripti sunt in divina sapientia, quam librum appellat, quia in hoc libro in futura vita legemus, quicquid erit necessarium. Et que hic occulta nobis sunt et irrationabiliter etiam geri videntur, in eo tunc cognoscemus libro, quare sic oportuit fieri et quare, que facta non sunt, que tamen fieri rationalibus[a] videntur, fieri non oportuit. Quare etiam arbor illa in hoc loco, ubi nichil utilitatis habere videtur, sita sit potius quam in illo
146v iuxta civitatem, ubi plurimum || decoris et utilitatis videretur habere.

"Gaudete". Quasi dicat: Et ut[b] vos ad illum librum veniatis et legatis, "gaudete" etc. id est gaudium vestrum in Domino et fiduciam omnem semper ponatis. Et "iterum dico" etc., id est in hoc perseverate. Geminatio enim perseverantiam notat, veluti euntes ibant.[736] Item "modestia" etc., id est non solum vobis sufficiat modestos esse et in vobis temperatos, nisi etiam aliis appareat vita vestra bona, ut alios exemplo vestro invitetis. "Dominus". Sic vivite, dico, et debetis, quia "Dominus prope est", qui videt omnia, quecumque facimus, tam re mota quam propinqua, quoniam ei sunt mille anni tamquam dies hesterna, que preteriit,[737] cuius etiam iudicium cotidie nobis instat. Illud enim iudicium commune multa cotidie private precedunt iudicia. Singulis enim diebus quicumque moritur vel ad celum transit vel ad inferos.

"Nichil solliciti". Providentiam non aufert de temporalibus, sed sollicitudinem, id est curam superfluam, ut videlicet pro transitoriis non[c] amitamus ęterna. Quam sollicitudinem

---

[a] rationalibus] *inter lineas* [b] ut] *inter lineas* [c] non] *inter lineas*

---

[736] Psalm. 125,6 [737] Psalm. 89,4

prohibet etiam Dominus in ewangelio dicens: De crastino nolite esse solliciti.[738] Et hoc est[a] "nichil solliciti sitis", id est curam superfluam de terrenis non habetis, immo potius "in oratione" pro vobis ipsis "et obsecratione" pro aliis et "gratiarum actione", id est glorificando Deum et laudando de omnibus beneficiis vobis impertitis, "petitiones vestre", id est postulationes, "innotescant", id est note sint, aliis videlicet, ut ipsi similiter faciant. Et hoc "ad Deum".

"Et pax Dei", id est tranquillitas mentis interior, quam Deus in nobis creat, quod videlicet animus noster ita pacatus est, quod motus illiciti ita sunt restrincti, ut, etsi eas in nobis quandoque sentiamus, ad consensum tamen non veniant. Hec, inquam, pax et tranquillitas "custodiat corda vestra", id est in cordibus vestris perseveret, "que exuperat omnem sensum", id est omnem humanam rationem, que investigare non potest neque exprimere, quam mirabili potentia hanc pacem in mente faciat Deus. Et hoc "in Christo", id est per Christum Jhesum.

"De cetero", id est insuper, ut sumatim dicam, "quecumque vera sunt", id est ad veram doctrinam Christi. "Quecumque pudica". Non solum mentis pudicitiam intelligit, sed in singulis integritatem vite, ut in nullo a creatore nostro fornicemur. Ille autem fornicatur, qui Christum sponsum suum relinquit adultero adherens, id est diabolo. De quo supra: Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo,[739] cum adherere debemus tamquam sponso nostro, a quo qui recedit, fornicatur. "Quecumque iusta", id est reddendo unicuique, quod suum est. "Quecumque sancta", in se. "Quecumque amabilia", id est digna amari. Et est verborum replicatio. "Quecumque bone fame", id est, quecumque ad bonam famam spectant. "Si qua virtus", id est, si aliqua est virtus in alio, quam imitemini. "Si qua laus discipline", id est laudabilis scientia, quam addiscatis. "Hec

[a] est] *inter lineas*

[738] Matth. 6,34 [739] 2 Cor. 11,2

cogitate". Quasi dicat: Omnia hec cogitate, ut videlicet ad ea habenda vos applicetis et in habitis perseveretis.

"Que" videlicet etiam "didicistis", iam "et accepistis" etc. Et "hec agite", id est voluntatem vestram ad huiusmodi applicate et in his perseverate.[a] "Et Deus pacis" etc., id est habitabit in vobis.

"Gavisus sum". Antequam epistolam finiat, de beneficio, quod ei miserant, ubi in carcere erat,[b] eos laudat. Et hoc est "gavisus" etc., id est vehemens gaudium habeo et hoc in Domino de vobis, "quoniam" videlicet "tandem aliquando", id est post multum temporis "refloruistis", id est iterum floruistis. Primum enim floruerunt in eo, deinde, etsi multo tempore post, refloruerunt. Florem autem illum bonum opus appellat, in quo tamquam in flore suo bona apparet voluntas, ex qua procedit. Dicit ergo: "refloruistis pro me sentire", id est beneficium michi iterum impendistis ex sensu vestro bono, id est discretione animi, et vestra bona voluntate procedens.[c] "Sicut et" prius "sentiebatis", id est alia vice cum discretione fecistis. Isti enim, cum primum essent christiani, de suo ei miserant, sed postea se retraxerunt. Tandem tamen iterum illi miserunt. In primis quippe christiani fervoris magni erant et, quecumque habebant, omnibus erant communia. Deinde paulatim ab illo fervore animi deperierunt.

"Occupati". Refloruistis, dico, sed longo tempore post. Nec miror, quia "eratis occupati", id est in magnis occupationibus detenti et ita non ante poteratis.

"Non quasi". Dico: Gavisus sum. "Non" tamen hoc "dico, quasi propter penuriam", ut videlicet velim pro indigentia mea, quod michi iterum detis. "Ego enim". Vere non tamquam pro penuria, quia "ego didici, in quibus" etc., id est didici paucis esse contentus. Et vere in quibus sufficiens, quia ego "scio et humiliari", id est in paupertate modum servare. Et non solum humiliari, sed et "scio habundare", id est in habundantia modum habere. Et vere scio, quia "ubi-

---

[a] et in his perseverate] *inter lineas* [b] ubi in carcere erat] *inter lineas* [c] procedens] *inter lineas*

que", id est quocumque loco et coram quibuscumque "institutus sum", id est edoctus sum, a Deo videlicet. "Et satiari" etc. Verba eiusdem sensus replicat, cum supponat:
"Et habundare" etc. Dicit beatus Augustinus, quod non est multum habundare, sed scire habundare, scire humiliari pro magno habendum est, ut videlicet homo in quocumque statu modum servare sciat.

"Omnia possum". Scio, dico, quia "possum omnia", id est omnem modum vivendi, "in eo", id est per eum, "qui me confortat", id est, qui me consolatur in omnibus.

"Verumtamen". Quasi dicat: Sed quamvis didicerim et sciam et possim omnia, tamen "bene fecistis" de beneficio michi impertito, quando necesse habebam.

"Scitis autem". Vere bene fecistis, quia "et vos scitis" etc. "Communicavit", id est subvenit, "in ratione dati et accepti", id est secundum rationem, ut videlicet merito darent, cum acciperent, quia, ut supra meminit, si nos vobis spiritualia seminamus, non est magnum, si carnalia non metamus.
"Semel et bis", id est duabus vicibus, "misistis", de vestro videlicet.

"Non quia". Dico, quod nemo communicavit nisi vos soli. "Non" tamen dico hoc, quia videlicet "quero datum", id est, ut michi iterum detis, "sed requiro fructum". Gregorius: Datum quippe est res ipsa, que impenditur. Fructus vero dati est, si benigna mente future mercedis studio aliquid impendatur. Ergo datum in re accipimus, fructum in corde. Et quia discipulorum mercede potius quam munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se querere fatetur. Unde et subdit:[a] "Habeo autem". Et vere non ideo, quia "habeo omnia" necessaria, quia etiam "habundo repletus acceptis", id est eis, que ego accepi, "ab Epaphrodito, que misistis in odorem suavitatis", id est tamquam donum, quod Deo multum placet. Sumptum est a sacrificio Noe, quod

[a] quippe—Unde et subdit] *in margine*

Deo fecit in odorem suavitatis,[740] tamquam Deus nasum suum super holocaustum poneret, cuius odore sentito sibi placeret hostia. Odor enim suavitatis pro bene placere ponitur, et est a nobis tractum, qui rem, cuius odorem bonum sentimus, approbamus. Quod exponit dicens: "hostiam acceptam, placentem", id est oblationem permultum Deo placentem.

"Deus autem". Vos me replevistis. Et "Deus meus" et vester "impleat desiderium", id est perficiat omne, quod vos desideratis, "secundum divitias suas", id est secundum divitem gratiam suam. Et hoc "in gloria Jhesu Christi", id est ad glorificationem Jhesu Christi, ut ipse glorificetur et laudetur.

"Deo autem". Deus, dico, impleat omne desiderium vestrum et ipsi "Deo et Patri", qui pater omnium est, "gloria sit", id est exaltetur et laudetur de omnibus beneficiis suis, "in secula seculorum", id est per omnes successiones.

"Salutate". Finiturus epistolam more suo rogat, ut se invicem salutent. Et hoc est "salutate" etc.

"Qui mecum sunt fratres", id est, qui michi assistunt et amministrant cotidie. Et non solum illi, qui mecum sunt, sed et alii "omnes sancti", id est fideles, qui apud nos sunt, et "maxime" illi, "qui sunt de domo", id est familia, "Cesaris". Hii enim, qui de domo Cesaris erant, quos converterat apostolus, multum desiderabant istos.

---

[740] Gen. 8,21

[In epistolam ad Colossenses.]

"Paulus"[a] etc. Colosenses sunt Asiani. Colosis enim civitas est in Asia. Hii autem a quodam discipulo apostoli, qui infra nominatur, conversi erant, sed postmodum per pseudoapostolos facti sunt perversi in illum communem errorem maxime inducti, ut videlicet Christum et passionem eius non crederent ad salutem sufficientem esse. His ergo scribit hanc epistolam, cuius suma intentionis[b] hec est, ut videlicet ad ewangelicam sufficientiam eos revocet et, ut sibi ab pseudoapostolis caveant, persuadeat; in illis tamen, quod bonum est, laudans, quod vero malum, corrigens. Et maxime ad legem removendam, que pro magno habebatur, in suis epistolis nititur apostolus, quam quia difficile erat removeri, sepius necessse habebat, ut imperfectionem legis monstraret et sic ewangelii maneret veritas.

[Cap. 1]

Incipit ergo premissa salutatione dicens: "Paulus" factus "apostolus Christi Jhesu", et hoc "per voluntatem Dei", non meritis suis. "Et Thimotheus". In salutatione ista Thimotheum secum commemorat, ut maiorem habeat auctoritatem, quoniam omne verbum stat in ore duorum vel trium.[741] "Sanctis". Quod exponit dicens: "et", pro id est, "fidelibus" etc.

"Gratia vobis" etc. Ut supra. "Gratias" etc. Ab actione gratiarum incipit Deo gratias agens de beneficiis, que eis impendit. Et hoc est "gratias" etc. "Semper", in vestris videlicet orationibus.

"Fidem vestram in Christo Jhesu". Quod tam bonum est, quod videlicet creditis Christo, quia impossibile sine fide Deo

---

[a] Paulus] aulus [b] intentionis] *inter lineas*

---

[741] Matth. 18,16

placere,[742] etsi Christo Moysen adiungatis. Acsi diceret: Quod Christo creditis, vos laudo; quod vero ei socium adiungitis, arguo. Sicut supra: Laudo vos, sed in hoc non laudo.[743]

"In omnes sanctos", id est erga omnes fideles. Et hoc "propter spem",[a] id est propter premium iustus sperandum, quod videlicet "repositum est vobis" non in terrenis, sed in celestibus. Non tamen propter spem[b] finaliter quicquam faciendum est, sed tantum propter Deum, ut omnium, quecumque facimus, Deus finalis causa sit.[161*] Spes tamen quedam causa
147r esse potest, sed non suprema. Veluti, cum facimus || domum propter pauperes, illi possunt esse in causa, sed solus Deus in fine.

"Quam", scilicet spem, "audistis in verbo veritatis", id est Christi, qui veritas est. Quod videlicet verbum non est annuntiatum per Moysem, qui terram promittebat, sed per seipsum, qui celum pollicebatur. Et hoc est "ewangelii", quod est Christi predicatio.

"Quod", scilicet ewangelium, "pervenit ad vos", sicut dilatatum est "in universo mundo et fructificat et crescit". Etsi per regna non crescat, tamen per personas cotidie crescit.[c] Unum expositio est alterius.

"Ex ea die" etc., id est ex illo tempore, ex quo audistis predicationem Christi et ei adquievistis.

"Gratiam Dei", que cognita est[d] universo mundo. "In veritate", id est per Christum. Ita, dico, cognovistis, "sicut didicistis ab Epaphra". Iste convertit eos. "Conservo vestro", id est servus Christi, quemadmodum et vos.

"Qui fidelis est" etc., id est, qui fideliter ministrat et ministravit vobis, que ad doctrinam Christi spectant in salutem

---

[a] spem] speciem [b] spem] speciem [c] Etsi—crescit] *inter lineas*
[d] est] *inter lineas*

---

[742] Hebr. 11,6 [743] 1 Cor. 11,22

[161*] Abaelard., *Theologia, lib.* 1 c. 1 (PL 178,981 sqq); *Sent. Herm.*, c. 1 (PL 178,1695), c. 31 (PL 178, 1747C sq.); *Sent. Flor.*, 1; *Sent. Rol.*, 314.

vestram. "Qui", scilicet Epaphras, "etiam" preter quod ab aliis audieram, "manifestavit dilectionem vestram", quam videlicet habetis "in spiritu", id est in spiritalibus, non in carnalibus. Quedam enim persone inter illos erant ex toto commendabiles, de quibus ista bona intelliguntur.

"Ideo", quia fidem[a] habetis, dilectionem habetis, "ideo et nos" etc., "ut impleamini agnitione voluntatis eius", id est, ut crescatis cotidie in cognitione eorum, que divine placent voluntati. Et hoc "in omni sapientia" etc. Sapientia in amministratione temporalium circa proximum. Intellectu vero quantum ad ea, que ad divinitatem pertinent.

"Digne Deo", id est ita, sicut oportet eos, qui a Deo vocati sunt. Et hoc ita "per omnia", quecumque facitis, "placentes" et de die in diem "in omni opere fructificantes". Quod exponit dicens: "et crescentes in scientia Dei", id est in notitia Dei. Et quia scientiae non sufficiunt, "in omni virtute confortati", id est omnes virtutes habentes, quibus confortemini.

Et per quem habebimus virtutes istas? Per Deum, qui potest conferre. Et hoc est "secundum potentiam claritatis eius", id est secundum virtutem suam, qua potens est nos illuminare. In omni, dico, virtute confortati, et hoc precipue "in omni potentia" contra tribulationes, que tunc temporis precipue imminebant, "et longanimitate" de expectatione premii, quamdiucumque differamur. Et hoc semper "cum gaudio", id est cum hilaritate mentis.

Semper "gratias agentes" etc. "In partem sortis sanctorum," id est, ut essemus participes electionis sanctorum, id est vite ęterne, ad quam electi sunt. Et hoc "in lumine", id est per Christum, qui[b] lumen est. Vere dicitur: Erat lux vera, que illuminat etc.[744]

"Qui", scilicet Pater, "eripuit vos de potestate tenebrarum", id est de societate diabolorum, qui perpetuis tenebris depu-

---

[a] fidem] *add.* fidem   [b] Christum, qui] *inter lineas*

---

[744] Joh. 1,9

tati sunt, qui in nobis, quos fecerunt socios nolentes soli perire, quandam habebant potestatem, quod videlicet ita illis coherebamus, quod non facile a societate eorum poteramus nos expedire. Ab ista societate nos eripuit Deus et "transtulit in regnum" etc., ut videlicet filius eius regnaret in nobis per dilectionem. Vel "in regnum", id est in adquisitionem, ut videlicet illius essemus hereditas, qui est filius dilectionis, de quo dicitur: Hic est filius meus dilectus, in quo michi bene placuit.[745]

"In quo", scilicet filio, id est per quem "habemus redemptionem", a iugo videlicet peccati, quod primum nobis dominabatur, et ita "remissionem" precedentium etiam "peccatorum".

"Qui". Diceret aliquis: Poteratne iste filius remissionem peccatorum facere?—Ita utique, "qui", pro quia, ipse est "imago", id est expressa Dei similitudo. Unde ipse de se ait: Philippe, qui videt me, videt et Patrem.[746] "Dei", scilicet Patris. "Invisibilis". Patrem invisibilem appellat, quia numquam in aliqua specie visus est nobis sicut Filius vel Spiritus Sanctus. Filius enim in specie hominis nobis apparuit. Spiritus vero Sanctus in specie columbe visus est, quam Deus creavit tunc tamquam creaturam novam, sicut et stellam in nativitate salvatoris. Aliter tamen Filius in humana specie, aliter Spiritus Sanctus in illa. Quippe Filius ita in homine visus est, quod eum in personam unam univerat. Spiritus vero non ita in columba apparuit. Illam enim in personam unam sibi non univit. Unde dicit beatus Augustinus,[747] ubi de istis speciebus loquitur, quod Filius secundum aliquid minor Patre dicitur, secundum videlicet humanitatem, quam sibi uniendo in personam unam assumpsit. Spiritus vero nequaquam, qui quamvis in columba, inquit, apparuerit, non tamen ei in personam unam est unita.

Queritur, an Spiritus Sanctus dicatur imago Patris quemadmodum Filius.

---

[745] Matth. 3,17 [746] Joh. 14,9 [747] Cf. Augustin., *De Trinitate lib.* 2 c. 6 (PL 42,851).

Philosophus:[162*] Inprimis, inquit, dico, quod hac auctoritas non habet, et causa fortasse hec est, quia Filius, cum sit prorsus eiusdem substantie cum Patre, est de substantia Patris. Pater quippe cum sit omnipotentia, Filius est quedam potentia, quia est sapientia, id est potentia discernendi. Spiritus vero Sanctus, cum sit omnino eiusdem substantie cum Patre vel Filio, non est tamen de substantia Patris vel Filii, cum benignitas potentia omnino non sit nec benignum esse sit potentem esse, sicut sapientem esse est potentem esse. Unde dicit tam beatus Jeronimus[748] quam beatus Augustinus[749] quod proprie a Patre procedit Filius.

Obicitur de beato[a] Ambrosio,[750] qui dicit Spiritum Sanctum esse de substantia Patris.

Philosophus:[163*] De substantia, inquit, Patris esse intellexit sive per processionem, quod ad Spiritum Sanctum spectat, sive per genituram, quod Filii est, cuius gigni est. Unde

---

[a] beato] *inter lineas*

---

[748] Cf. inter opera spuria Ambrosii, *De Trinitate tractatus* c. 3 (PL 17,540). Petrus Lombardus, *Sententiae lib.* 1 dist. 13 (Quaracchi 88 sq.). [749] Augustinus, *Contra Maximinum Arianorum episcopum lib.* 2 c. 14 n. 1 (PL 42,770) [750] *Locus non inventus*

[162*] Abaelard., *Theologia, lib.* 2 c. 14 (PL 178,1072); Theologia Fritzlar. fol. 97r: Unde, quod ait Maximus episcopus per omnipotentiam Patrem esse, tale est acsi dicat ipsam divinam potentiam ad personam Patris maxime pertinere, non quod ipse solus est omnipotens, id est omnia, que vult, efficere possit, sed quod insuper ipse solus ex se habeat posse, sicut ex se habet esse, non ex alio. Potest tamen et hoc modo accipi, quod dicitur per omnipotentiam esse Pater, ut secundum hoc intelligatur esse Pater Filii, quod Filius de substantia eius esse dicitur. Per Filium quippe divinam intelligimus sapientiam. Sapientia autem, cum sit quedam potentia, discernendi scilicet, quasi quedam est portio divine omnipotentie, cum sit ipsa quoque quedam potentia, sicut quilibet filius quedam proprii patris portio esse dicitur. Quasi- portionem quidem non vere portionem dicimus, cum in ipsius divine nature simplicitate nulle penitus partes existere queant, nulla omnino rerum multitudo, nichil penitus, quod non sit ipse.—*Sent. Herm.*, c. 15 (PL 178,1716D sqq); *Sent. Flor.*, 6. [163*] Abaelard., *Theologia, lib.*, 2 c. 14 (PL 178, 1072C sq.)

natum ex Patre Filium cum in simbolo habeatur, Nicenum Concilium[751] exponit ex substantia Patris esse, id solum ad Filium applicans.

"Primogenitus". Filius Dei "primogenitus", id est genitus ante omnem creaturam. Quod probat, quia videlicet "in ipso", id est per ipsum, "condita sunt universa". Unde oportuit, ut precederet omnia creata. "In terra" universa, dico, et "in celis et in terra", que videlicet sunt sive in terra sive in celo. Et hoc tam visibilia quam invisibilia. Et hoc est "visibilia et invisibilia". Etiam maiores potestates, que in celo sunt. Et hoc est "sive troni" etc. Nomina sunt angelicorum ordinum. Et quid irem per singula? Ecce "omnia per ipsum creata". Et hoc "in ipso", id est ita, sicut previsa erant. Vel "in ipso", id est ad ipsius glorificationem.

"Et ipse est". Quasi dicat: Per ipsum omnia creata sunt, et ideo palam est, quoniam "ipse ante omnes est", id est ante omnes creaturas. Et iterum "omnia in ipso constant", ut videlicet, quemadmodum ab ipso suum esse habent, ita et suum durare habeant, a quo et creari, ut in eo, quod sunt, perseverare possint. Sicut enim necesse est, ut ab ipso suum esse contrahant, ita etiam, ut per ipsum conservent, cum alioquin deficerent.

"Et ipse", scilicet Christus, "caput est corporis", quod videlicet est ecclesia. Dicitur autem caput ecclesie[a] Christus, ut supra iam diximus, quia, sicut in capite omnes sensus sunt, quod ceteris membris providet, ita in Christo omnia dona, a quo corpus suum, quod est ęcclesia, regitur. "Qui est principium", omnium videlicet creaturarum. Hoc autem de Christo dicitur secundum verbum, de quo et illud, quod sequitur, secundum humanitatem.

"Primogenitus ex mortuis", id est ab inter mortuos primus resurgens, qui videlicet primus de mortuis regeneratus est in vitam illam beatam. Cum enim ewangelista dicat in morte illius petras scissas esse et monumenta mortuorum

---

[a] ecclesia] *inter lineas*

---

[751] H. Denzinger, *Enchiridion*, n. 54

aperta esse et resurrexisse et multis apparuisse,[752] quod de mortuorum resurrectione intermiscet, id participationem dicit, cum tunc utique non resurrexissent, imo in die resurrectionis Domini cum ipso.

"Ut sit in omnibus". Quia videlicet primogenitus est omnis creature et quia ab ipso omnia creata sunt et quia primogenitus est ex mortuis, "ipse", scilicet Christus, sit "primatum tenens" in universis. Et merito, "quia in ipso", id est in Christo, "complacuit omnem plenitudinem", id est divinitatem, in qua omnis plenitudo est, "habitare" per unionem persone. Et ita "per eum reconciliare omnia", Deo videlicet. "In ipsum pacificans". A superiori pendet constructione, ubi dicitur: Et transtulit vos Deus[a] in regnum Filii sui. Deus, dico, "pacificans", id est reconcilians, "in ipsum", id est per ipsum, et hoc "per sanguinem crucis eius", id est per passionem et mortem eius.

Pacificans, dico, sive "que in terris sunt, sive que" iam "in celis sunt". Vel etiam homines et angelos sibi invicem pacificans, qui primum tamquam inimici erant. Amodo enim angelus hominem non dedignatur habere socium, cum hominem ad horandum supra se habeat.

"Et vos". Dixi pacificans per sanguinem crucis eius sive, que in terris sunt, sive, que in celis sint, quoniam "et vos" etiam reconciliavit, cum tales essetis, quibus irasci debuit. Et hoc est, "cum essetis aliquando alienati", id est remoti a Deo. Quod exponit dicens: "et inimici", id est tales, quibus debuit irasci Deus. Inimici, dico, "sensu" videlicet perverso, cum idola colerent putantes Deum, quod Deus non erat. Et hoc usque ad perversa opera. Et hoc est "in operibus malis", id est perversis.

"Nunc autem". Tales tunc eratis, sed Deus "nunc reconciliavit" vos "in corpore carnis eius", id est in carne, que est corpus eius, non alterius. Et hoc "per mortem" illius. "Ex-

[a] Deus] *inter lineas*

[752] Matth. 27,52sq.

hibere", id est ad exhibendum "vos sanctos" etc., pro eodem, in alia videlicet vita. Et hoc est "coram ipso".

"Si tamen". Quasi dicat: Exhibere, dico, vos sanctos, "si tamen permanetis fundati in fide", videlicet illius. Dubitative dicit et sub conditione vocans eos, ut diximus, quia supra fidem Christi legem susceperant, tamquam doctrina illius sufficiens non esset. "Et stabiles", expositio. Et iterum "imobiles ab spe ewangelii", id est ab ewangelio, quod credendum est sufficere ad salutem. "Quod", scilicet ewangelium, "audistis" et vos. Et vere audistis, quia iam dilatatum est per universum mundum. Et hoc est "quod predicatum", id est dilatatum, "in universa creatura", id est per universas nationes, que sub celo sunt, quia in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terre verba eorum.[753] "Cuius", scilicet ewangelii, "factus sum" per gratiam Dei "ego Paulus minister, qui nunc" etiam "gaudeo in passionibus" meis,[a] que fiunt ad vestram utilitatem. Et hoc est "pro vobis". "Et" qui "adimpleo" cotidie "ea passionum", id est eas passiones, imo quandam partem passionum, que adhuc desunt Christo, qui cotidie in membris suis patitur, quorum passiones ipse suas reputat, cum ait: Saule, quid me persequeris.[754] Suorum enim persecutionem dicit suam. Et ideo, quod membra patiuntur, dicitur deesse adhuc passioni capitis. Et hoc "in carne mea pro corpore", id est ad utilitatem et crementum ęcclesie, que est corpus eius. "Cuius", scilicet corporis, "factus sum ego" Paulus "minister". Cum enim alii in parte corporis ministrarent veluti Petrus in Judea, iste in universo corpore aministrabat;[b] cuius cotidiana instantia erat sollicitudo omnium ęcclesiarum.[755] Et hoc "secundum dispensationem", id est ordinationem Dei, que credita est michi specialiter "in vobis", gentes, ad hoc, "ut" videlicet "impleam verbum Dei", id est ad predicandum vobis ewangelium.

Verbum, dico "misterium" etc. Misterium vocat predica-

[a] meis] *inter lineas* [b] aministrabat] aministrabant

[753] Psalm. 18,5 [754] Act. 9,4 [755] 2 Cor. 11,28

tionem istam in gentibus quasi occultam. Primum enim dubium erat, an predicandum gentibus esset necne, donec || 147v apostolo, ut supra posuimus, revelatum esset. Et hoc est "quod" scilicet misterium "absconditum", id est occultum, "fuit a seculis et generationibus", id est a precedentibus generationibus. De prophetis enim etiam pauci hoc occultum Dei de vocatione gentium intelligebant.

"Nunc autem". Absconditum fuit illis, sed "nunc", id est in tempore gratie, in quo omnia abscondita, que de salute hominis erant, revelata sunt, illud misterium Dei "manifestatum", id est revelatum est, "sanctis", eius apostolis videlicet, "quibus voluit" etc., id est notam facere divitem gloriam de conversione gentium, que ad glorificationem eius facta multum ditavit ęcclesiam. Ante conversionem enim gentium pauci multum erant fideles. Sed illis conversis maximus factus est fidelium numerus. Hic est[a] enim lapis ille, qui abscisus de monte fuit et crevit postmodum in magnum montem.[756] Glorie, dico, "sacramenti huius in gentibus", id est de vocatione gentium ad fidem.

"Quod", scilicet[b] sacramentum, "est Christus in vobis", qui videlicet iam venit ad vos. De quo primum dubitatur, an videlicet Christus predicandus esset vobis. Christus, dico, "spes glorie", id est, per quem sperandum est de gloria illa ęterna. "Quem", scilicet Christum, "annuntiamus", id est predicamus vobis, gentes. Nos, dico, "corripientes", hoc est castigantes et corrigentes, "omnem hominem" tam iudeum quam gentilem, "et docentes", id est instruentes et erudientes, "omnem hominem in omni sapientia", que necessaria est ad salutem. Et ad hoc, "ut" videlicet "exhibeamus omnem hominem perfectum", id est omnem hominem ducamus ad perfectionem non per legem, sed per Christum Jhesum. Et hoc est "in Christo Jhesu". "In quo", id est propter quem et per quem, "laboro" in vobis gentibus "certando" cum omnibus, qui contradicunt. Quos et superamus, sicut et

---

[a] est] *inter lineas* [b] scilicet] *inter lineas*

---

[756] Dan. 2,34 sq.

superatus sum a Deo, cum michi in via apparuerit. Et hoc est "secundum operationem eius", secundum quam "operatus est in me", id est quam primum in me expertus sum. Et hoc "in virtute", cum videlicet de tanto persecutore zelota fuerit.

[Cap. 2]

"Volo enim". Dixi: Laboro, quia "volo vos" etc., id est quam sollicitus sim de vobis et de illis, "qui sunt Laodicee", etiam pro illis omnibus, "quicumque" etc., id est, qui me nondum cognoverunt in carne, quia iam multi eum in scriptis noverant vel etiam fama,[a] quia, ut paulo ante diximus, instantia cotidiana sollicitudo omnium ęcclesiarum.[757] Et ad hoc, "ut consolentur corda ipsorum" in tribulationibus meis, quas ego pro vobis sustineo et aliis. Illi, dico, "instructi", id est edocti ex me, "in caritate", id est ad caritatem habendam, "et in omnes" etc., id est, ut repleti sitis omni intelligentia, que necessaria est, que vos divites faciat in notitia Dei. Et hoc "in agnitionem", id est ad agnoscendum misterium istud non solum de vocatione nostra, quod iam novistis, sed etiam de remotione legis imperfectionis, que erat rudimentum parvulorum veniente perfectione ewangelii, quod est cibus perfectorum, ut videlicet, cum venerit, quod perfectum est, evacuetur, quod ex parte est,[758] et credatur Christus et eius passio ad salutem sufficere.

"In quo", scilicet Christo, "sunt omnes thesauri" etc., quia in eo est verbum unitum homini in personam unam, omnisapiens et omnisciens. Sapientie quantum ad providentiam, ubi quecumque facienda erant, provisa sunt. Scientie vero quantum ad effecta ipsa. Qui, quemadmodum providit, ita postmodum excecutus est.

"Hoc autem". Quasi dicat: Dixi in agnitionem misterii, de remotione videlicet legis. Et "hoc" ideo dixi et "dico, ut" videlicet "nemo vos decipiat", id est seducat, "in sublimitate sermonum". De iudeis hoc dicit. Infra vero de philosophis ponit. Hii autem, id est iudei ad seducendum afferebant

---

[a] id est qui me—fama] *inter lineas*

---

[757] 2 Cor. 11,28 [758] 1 Cor. 13,10

sublimes sermones, id est auctoritates legis, que sublimis habebatur et cui multum credebatur eo, quod a Deo data erat.
"Nam". Hoc dico, ne quis vos decipiat. Et bene, quia "etsi corpore absens", sed tamen "spiritu", id est mente et animo, "vobiscum sum". Ego, dico, "gaudens" de vobis "et videns ordinem vestrum", id est illud, quod ordinatum est in vobis. Inordinata enim et quecumque nobis displicent, nolumus videre. Unde etiam et Deus videre dicitur, quod sibi placet, avertere vero oculos suos ab eo, quod displicet.

Ordinem exponit dicens: "et firmamentum" etc., id est firmam fidem vestram, que est "in Christo Jhesu", in quo adhuc fundati estis.
"Sicut ergo". Quia videlicet Christum et fidem eius accepistis, igitur "sicut accepistis Dominum" etc., ita et "in ipso ambulate". Non dico: Estote, sed ambulate ipsum imitando de virtute in virtutem.

Vos, dico, "radicati et superedificati in ipso" tanquam in fundamento nostro. Quod exponit, cum supponat: "et confirmati in fide", videlicet illius. Et hoc "sicut didicistis", id est iam edocti estis, "habundanter in illo", id est per illum, "in gratiarum actione", id est ad gratias agendas Deo pro beneficiis, que vobis impertit.

"Videte". Dixit de iudeis, qui legem afferunt, ut sibi caveant. Nunc de philosophis, qui argumentis suis muniti et philosophicis rationibus confisi miseros seducunt. Et hoc est: "Videte", id est providete et cavete vobis, "ne quis", id est ne aliquis de sapientibus mundi, "decipiat", id est seducat, "per philosophiam". Et quia philosophi huius temporis monachi sunt, qui vitam philosophicam ducunt, unde de Johanne dicitur, quia philosophatur in heremo, ne de ista philosophia intelligeretur, subiungit: et per "inanem fallaciam", id est per inania argumenta et falsa, qui non credunt aliquid posse contingere, nisi illud, quod experti sunt. Et hoc "secundum traditionem hominum", id est quam fallaciam inanem tradiderunt homines et de qua suas deducunt preceptiones. Que traditiones hominum, id est scientie

seculares, sunt tamquam elementa huius mundi, ut videlicet, sicut elementa mundi sunt initia, ita et ille nostra debent esse initia tamquam rudimenta prima, ut in eis initiemur, in theologia consumemur, propter quam, ut in exordio epistolarum meminimus, omnes scientie alie reperte sunt. Et si quam moram in aliis fecerimus, propter eam facere nos convenit, ut tandem per pedissecas, quas habeamus in via, non in fine, perveniamus ad dominam. Et hoc est "secundum elementa huius mundi", id est per seculares scientias, que ad similitudinem elementorum huius mundi debent esse, immo sunt tamquam elementa et pedissece divinitatis. "Et non secundum Christum", id est non secundum traditionem Christi. Christus enim, in quo erat omnis thesaurus sapientia et scientia Dei,[a] de istis parvis scientiis non se intromisit, de quibus homo hominem docere poterat,[b] sed de illis maximis scientiis, que in cor hominis nondum ascenderunt, que videlicet ad ipsam spectant divinitatem et ad nostram salutem. Et merito tam parvis non dedit operam, sed altissimis, quia "in ipso", scilicet Christo, "habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter", id est non umbraliter, imo corporaliter. Umbra autem corporis est et corpus non est, cum tamen lineamenta corporis habere videatur. Corpus vero, cuius umbra est, veritas ipsa est et non umbra. Si ergo Deus in illis fuerit, per umbram fuit sicut et in aliis, qui Christum significabant. Templum quoque illud manufactum, in quo dicebatur esse Deus et Dei esse, quia domus mea domus orationis vocabitur, Christum figurabat. Unde ipse ait: Solvite templum hoc et ego in triduo reedificabo illud.[759] Illi autem putabant, quod de templo illo diceret, ipse vero de corpore carnis sue hoc dicebat. Cum igitur in templo etiam illo diceretur esse Deus, fuit ibi per umbram et non corporaliter. In Christo vero solo corporaliter habitat, id est in eo est per veram inhabitationem et unionem nature.

"Et" vos, fratres, "in illo estis repleti", id est per illum omni

[a] Dei] *inter lineas* [b] de quibus—poterat] *inter lineas*

[759] Joh. 2,19

bono pleni. In illo, dico, "qui est caput omnis" etc., id est, qui primatum habet etiam super maiores angelos.

"In quo", scilicet Christo, id est per quem, "et circumcisi estis". In carne? Non. Imo "circumcisione non manu facta in expolitiatione corporis carnis", id est in sedatione carnalis corporis in vobis, id est carnalitatis et illicitorum motuum. "Sed in circumcisione", dico, non manu facta, sed "in circumcisione Christi", id est spiritali circumcisione, quam Christus creat in mente extinguens vitia et extirpans in anima.

Vos, dico, "consepulti ei in baptismo". De ista consepultura dictum est in epistola ad Romanos,[760] ut videlicet, quemadmodum Christus mortuus est in carne, ita et nos vitiis moriamur in mente et consepeliamur cum illo. Que etiam consepelitio in baptismo denotatur, in quo, sicut conspectui hominum subtrahimur et quodam modo sepelimur, ita oportet, ut in interiori homine mortui sepeliamur et in priori vita non amplius videamur, sed novam vitam Christi imitando cum illo resurgamus. Et hoc est "consepulti ei", id est ad similitudinem eius, et hoc "in baptismo", in quo etiam figuratur consepelitio ista. "In quo", scilicet Christo, id est, per quem, "resurrexistis" a peccatis et vos imitando vitam illius novam. Et hoc "per fidem operationis", id est operantem ea, que Deo placent, "quoniam" videlicet Deus Pater "suscitavit illum", scilicet Christum, "a mortuis", id est ab inter mortuos. Acsi diceret: Et bene potuit vos resuscitare, cum et illum resuscitaverit.

"Et vos". Vere resurrexistis, quia vos etiam "convivificavit", id est resuscitavit mente[a] "cum illo", id est ad similitudinem illius in carne. Et hoc tunc temporis, cum videlicet "mortui in delictis", id est in peccatis vestris. "Et preputio". Preputium vocatur pellicula anterior in membro virili, que in circumcisis amputabatur, cuius amputatio munditiam

[a] mente] *inter lineas*

[760] Cf. Rom. 6, 3-13

significabat. Unde a preputando preputium dictum est. Putare enim est amputare. Unde dicitur tempus putationis.[761] Econtra autem habentes preputium immundi dicebantur. Et ideo hoc loco preputium pro immunditia ponit, in qua mortuos eos fuisse sequendo pravas concupiscentias carnis. Et hoc est "preputio", id est in inmunditia carnis, qua ducebamini ad serviendum ei.

"Donans". Convivificavit, dico, hoc modo, scilicet "donans", id est condonans omnia peccata vestra destructo cirographo illo, quod de vestra erat dampnatione factum et quasi a diabolo acceptum in confutationem nostram et in testimonium contra vos. Veluti de quodam legitur, qui appellabatur Theophilus, qui, cum nobilis homo esset et in magnam devenisset paupertatem, a quodam tandem preventus est iudeo, qui se illius paupertati consulere promissio, si suo vellet consilio adquiescere, ut videlicet diabolo faceret hominium. Ille autem oppressus et pudore et onere sue paupertatis irretitus tandem acquievit. At vero diabolus volebat eum suscipere, ut ei cirographum daret tamquam ad confir- || mationem ho- 148r
minii, in quo contineretur pactio illa, ne, si etiam vellet, posset se retrahere. Postea autem illum penituit fecisse et cum vehementi supplicatione ad basilicam beate Marie veniens ante crucifixum prostratus flevit amare, et ita Deo reconciliatus est. Quod gloriosa virgo postmodum ei apparens revelavit dicens: Frater, noli timere, quia iam reconciliatus es Filio meo. At ille: Domina, inquit, ego, qui tantum feci excessum, quomodo credam, nisi cirographum, quod dedi, michi reddatur. Et illa lecatorem illum diabolum, qui acceperat, referre coegit cirographum, quod ille, cum evigilasset, super pectus invenit. Ita et Adam cirographum quoddam fecit, id est quandam manualem scripturam—ciros enim manus, graphia vero scriptura—quod multum erat nobis contrarium. Hoc enim cirographum erat illa operatio Ade, id est transgressio, propter quam incurreramus divinam sententiam, que dicebat: Quacumque die

---

761 Cant. 2,12

comederitis de ligno vite, morte moriemini.[762] Hoc ergo cirographum Dominus affigens cruci delevit, id est per mortem et passionem suam destruxit et suam temperavit sententiam, quia, cum duplici morte teneremur, iuxta quod dictum est illis: Morte moriemini, unam, id est gehennalem, removit, et alteram, id est temporalem, retinuit. Et hoc est "delens", id est removens, "cirographum", id est transgressionem illam Ade, que plurimum nobis erat contraria. Cirographum, dico, "decreti", id est, propter quod incurreramus decretum, id est divinam illam sententiam, que iterum nobis multum erat adversa.

"Et ipsum". Vere delens, quia "tulit", id est abstulit, "ipsum", scilicet cirographum, etiam "de medio", id est, ne medium esset, id est commune tam bonis quam malis, ut prius.[a] Tulit, dico, "affigens illud cruci", hoc est delens per mortem suam et passionem et ita "expolians principatus et potestates", id est a maioribus etiam diabolis referens secum spolia, id est hominem, quem diabolus a Deo tamquam spolium traxerat in socium.

"Traduxit" ab inferis, ubi erant fideles, ad celum. Iste tamen traductus localis non est, cum anima fidelis, quocumque loco est, si etiam localis esset, eque beata est. Sed Christum animas fideles ad celum traducere non est aliud nisi eum eis visionem Dei revelare, quam primum non habuerunt. Et hoc "confidenter" tamquam ille videlicet, qui poterat, qui divinam naturam sibi in personam unam habuit unitam. "Palam", id est in carne sua. "Triumphans", id est superans, in auferendo videlicet illis hominem, quem primitus habebant socium. Et hoc "in semetipso", id est per semetipsum.

"Nemo ergo". Quia videlicet ita nos liberavit Christus, cuius passio sufficit ad omne peccatum delendum, ergo "nemo iudicet", id est arguat vos, "in cibo" etc., id est, si vos non abstinueritis propter legem de cibo vel potu aliquo,

[a] id est commune—prius] *in margine*

[762] Gen. 2,17

quem lex prohibet. Acsi diceret: Ne curaretis propter legem ea, que in lege precepta sunt vel prohibita custodire.

De monachis autem queritur, an ipsi iudaizent, qui ita in exterioribus occupati sunt, cum solus animus ad salutem sufficiat.

Philosophus: Non, inquit, iudaizant, quia, si servant exteriora, non propter legem faciunt. Possunt quidem propter regulam beati Benedicti, quam sancti multum commendant patres.[a]

"Aut in parte". Iudicet, inquam, in cibo "aut" etiam "in parte", id est in specie alicuius festi diei. Quod ostendit per partes "neomenie aut sabbatorum". Neomenia dicebatur ea festivitas, quam colebant in renovatione lune, dicta neomenia quasi nova mene, id est luna. Hec autem novitas lune novitatem istam, quam per Christum habemus, significabat. Sabbatum vero illorum designabat ęternum sabbatum, id est requiem, ad quam veniunt, quicumque in novitate Christi perseverant.

"Que", scilicet neomenia et sabbatum, "sunt umbra", id est figura, "futurorum", id est eorum, que tempore legis futura erant. "Corpus autem". Illa sunt umbra. Umbre vero corpus "Christi" est, id est Christus est, qui in illis figurabatur.

"Nemo". Quasi dicat: Nemo vos, inquam, iudicet, ut ita "nemo vos seducat", id est decipiat per falsam religionem, quam pretendit, ut ipse vobis persuadeat, quod non est faciendum. Huiusmodi enim etiam, cum auctoritatem legis non haberent, unde constringerent, rationes suas afferebant, ut, quod legis testimonio facere non poterant, ratione quidem convincerent dicentes eos ad Christum conversos esse et ideo quadam vite singularitate debere aliis preeminere, ut amodo non solum a carne porcina, que est caro delicata, sed et a ceteris cibis deliciosis abstinerent.[b] Et hoc est "volens in humilitate et religione", id est per humilem religionem, "angelorum", id est tamquam eorum, qui missi sunt

---

[a] patres] *in margine* [b] Huiusmodi—abstinerent] *inter lineas et in margine*

a Deo, sicuti apostolorum. Volens, dico, subaudis, persuadere vobis, "ea" videlicet, "que non vidit", id est non intellexit. Ipse tamen "ambulans frustra", id est non eo modo, quo oportet, sed ad suam dampnationem. Ille, dico, "in flatus", id est tumidus factus, "sensu carnis sue", id est sensu suo, qui carnalis est, id est totus in carnalibus credens ea ad salutem esse et non Christum. Et hoc est, quod supponit: "et non tenens caput", id est non coherens capiti per amorem, id est Christo. "Ex quo", scilicet capite, "totum corpus", suum videlicet, quod est ęcclesia, "per nexus", id est per iuncturam fidei, "et coniunctionis", id est per compaginem caritatis, "sumministratum" per fidem "et constructum" per caritatem, ut ita singula singulis reddantur. Ex quo, inquam, totum corpus sic ordinatum "crescit" cotidie "in augmentum Dei", qui videlicet singulis diebus plures et plures fideles habet.

"Si ergo". Acsi diceret: Bene dixi: Nemo vos iudicet in cibo aut potu. Nemo vos decipiat in talibus, quia iam mortui estis cum Christo, id est, quemadmodum Christus mortuus est in carne, ita et vos in anima peccatis mortui estis, ut amplius legi quicquam non debeatis. Et si "mortui estis cum Christo", ergo "quid adhuc decernitis", id est contenditis,[a] "ab elementis", id est de lege servanda, que data erat ad rudimenta parvulorum, quam ideo per similitudinem elementa mundi appellat. Et hoc "tamquam viventes in hoc mundo," id est tamquam iudei, qui vitam querunt in terrenis istis. Vel "mortui estis ab elementis huius mundi".

Deinde "quid adhuc decernitis" de illis dicentes: "Ne tetigeritis" etc. Hec verba erant pseudoapostolorum a lege sumpta, ut eos magis auctoritate legis constringerent et ad legem traherent, quasi dicerent: Ecce quid lex dicit: "Ne tetigeritis", cadaver videlicet. Qui enim tangebant, pro immundis habebantur. "Neque gustaveritis", carnem videlicet porcinam. Neque "attrectaveritis", id est tota manu tetigeritis, quod est palpaveritis.

[a] contenditis] contendentis

"Que". Quasi dicat: Hec verba per pseudoapostolos habetis inter vos de his, "que" videlicet "omnia in interitum", id est ad mortem sunt. "Ipso usu", id est ei sunt ad dampnationem, si quis ea fecerit, cum lex prohibeat. In interitum, dico, non secundum preceptum Dei, qui iam legem cassavit, "sed secundum precepta" etc., id est qui hoc precipiunt et docent.

"Que". Ecce, quod diximus. Cum enim poterant ex auctoritate legis aliquos subducere, rationes suas inducebat, ut ita facilius ad id, ad quod volebant, eos traherent dicentes, quia christiani estis et vos potius a delicatis cibis abstinere debetis quam alii. Et hoc est "que", scilicet omnia hec, "sunt habentia", id est habent, "rationem sapientie", sue videlicet, "in superstitione et humilitate", id est in superstitiosa humilitate, in qua et ipsi erant et ad quam alios invitabant. Et hoc "non ad parcendum corpori", imo ad nocendum, cui beneficia subtrahebant. Et hoc est "non in honore aliquo", qui videlicet sit "ad saturitatem carnis", id est ad saturandam carnem. Quem honorem querunt divites[a] in cibis deliciosis. Ecce quam stulti erant, qui et corpus gravabant ieiuniis, abstinentiis omnibus, nec anime proficiebat quicquam, cum superstitiosa eorum esset religio.

---

[a] divites] *inter lineas*

[CAP. 3]

"Igitur". Dixit, quod, quemadmodum Christus resuscitatus est, ita et nos resuscitati sumus. Sed meliori quidem resurrectione, ea videlicet, que in anima est, que sola potest ęterna beatitudine frui, cuius resurrectio multo prestantior est quacumque carnis resurrectione. Quod enim Dominus ita Marie Madalene inspiravit et a peccatis eam resuscitavit, de tanta peccatrice tam gloriosam tam sanctam perficiens. Hec utique resurrectio maior fuit et multo mirabilior quam dominica etiam resurrectio, que tantum fuit in carne. Et hoc igitur, "si conresurrexistis", id est si resuscitati estis in anima, "cum Christo", id est ad similitudinem resurrectionis Christi, qui in carne fuit. Ante resurrectionem enim apostoli etiam in fide tepidi erant nec eo modo credebant adhuc, quo oportebat. Sed in resurrectione Domini, ut dicit beatus Ambrosius,[763] omnis dubitatio de Christo abscessit ab eis. De quo primitus ita dubitabant, quod, si ante resurrectionem morerentur, illi, ut dicit beatus Augustinus,[764] non salvarentur. Cum enim dicat Dominus: Si me queritis, sinite hos abire.[765] Ex his enim, quos dedisti michi, Pater, non perdidi quemquam.[766] Super illum locum querit beatus Augustinus,[767] de qua perditione hoc dixerit. De morte enim temporali dici non potest, quia hoc modo erat eos perditurus. Intelligendum est igitur de morte anime, quia revera huius perfectionis nondum erant, quod, si morerentur, salvarentur, imo potius digni essent gehenna.

"Que sursum sunt, querite", id est ad ea, que sursum, hoc est[a] ad vitam illam eminentem tendite, ad quam Christus

[a] est] *inter lineas*

[763] Ambrosiaster, *Comment. in ep. ad Rom.*, c. 1 (PL 17,52) [764] Augustinus, *Enarratio in psalmum*, 138 c. 21 (PL 37,1798) [765] Joh. 18,8 [766] Joh. 18,9 [767] *In evangelium Johannis tract.* 112 n. 4 (PL 35,1931)

iam precessit, ut nos membra, quantum possumus, capud nostrum sequamur. "Ubi Christus". Sursum, dico, "ubi" videlicet "Christus", persona illa, "est sedens in dextera Dei", id est requiescit in maiori eminentia illius vite, que per dexteram accipitur, collocatus super omnes creaturas.

Et iterum, "que sursum sunt, sapite", id est celestia quodam animi intimo gustu vobis sapiant, ut semper || ea concupis- 148v
camus et non ea, "que sunt super terram", id est terrena ista. Et merito, quia istis concupiscentiis iam "mortui estis" per Christum, per quem, ut ait apostolus, ego crucifixus sum mundo et michi mundus.[768] "Et vita vestra", id est beatitudo, quam expectatis, sicut et vos "abscondita" etc. Id est, quemadmodum Christus vobis absconditus est in vita illa vobis, ita et ipsa adhuc vobis occulta est. Et ideo ad illam vitam, quantum potestis, aspirate. Veluti membra in eadem beatitudine erunt cum ipso capite, cuius membra multa sunt, de quibus, an membra sint, nondum patet. Ut enim dicit beatus Jeronimus:[769] Multi sunt filii Dei, de quibus, quod sint filii, nondum apparet, quod tunc revelabitur.[a] Et hoc totum "in Deo", id est per Deum, videlicet Patrem. "Cum Christo". Modo, dico, abscondita est cum Christo; sed, "cum Christus apparuerit", in quo est vita vestra, id est beatitudo vestra, "tunc et vos apparebitis", id est revelabimini, "cum Christo", cum videlicet venerit iudex et hoc in gloria, id est gloriosa illa vita cum ipso. In illo autem iudicio, ut epistola ad Romanos meminimus,[b] quidam statim revelabuntur, qui alios iudicabunt et revelabunt dampnandos esse tanquam in illos dantes sententiam, quod non est aliud nisi quod ex gloria illorum et beatitudine apparebit, quam dampnabiles sint illi, qui in eos egerunt et eos oppresserunt. Alii vero apparebunt non revelantes, sed revelandi,

---

[a] cuius—revelabitur] *inter lineas et in margine* [b] ut—meminimus] *inter lineas*

---

[768] Gal. 6,14 [769] Cf. Pelagius, *Expositio in ep. ad Coloss.*, c. 3 (PL 30,598).

qui erunt quasi in ancipiti sententia diu, de quorum salute statim non constabit, qui tamen quandoque salvabuntur.

"Mortificate ergo". Quia videlicet consurrexistis cum Christo, igitur "mortificate" etc., id est extinguite, illicitos motus in membris vestris, qui hominem ad terrena inclinare contendunt. Quod exponit, cum subnectat:[a] "fornicationem" in coniugatis, "immunditiam" contra naturam, "libidinem" in aliis, que coniugate non sunt. "Concupiscentiam malam". Est enim bona concupiscentia, de qua dicitur: Concupiscit anima mea[b] in atria Domini.[770] "Que est simulacrorum servitus", quia, ut sepe iam diximus,[771] avaro ita est nummus in archa tamquam idolum in ara sua, quem colit, quem adorat, cuius et servus est, de quo dicit: Si nummum habeo, aliquid sum, quo, si careo, nichil valeo, quia quantum quisque sua nummorum servat in archa, tantum habet et fidei.

"Propter que", scilicet, que dicta sunt, "venit ira Dei", id est iusta Dei vindicta, "super filios incredulitatis", id est infideles, quos appellat filios incredulitatis, id est infidelitatis, quia, sicut fides generat et promovet nos ad omne bonum, ita et infidelitas causa est econtra, quare illi propensi sunt ad flagitia omnia et ad quelibet facinora proni.

"In quibus", scilicet omnibus illis, "et vos", non dico, fuistis, sed et "ambulastis", de malo videlicet semper in deterius ad modum eorum, qui de bono in melius ambulant. Et hoc "aliquando", tunc videlicet, "cum viveretis in illis", id est vitam vestram in talibus poneretis.

"Nunc autem". Ambulastis, dico, aliquando, sed "nunc deponite", id est postquam ad Deum conversi estis, relinquite omnia hec: "Iram", videlicet de re quacumque; "indignationem" de honore et sublimatione alterius—sepe enim in-

---

[a] inclinare—subnectat] *in margine* [b] mea] *inter lineas*

---

[770] Psalm. 83,3 [771] Cf. Hieronymus, *Comment. in epist. ad Eph. lib.* 3 c. 5 (PL 26,554).

dignamur, cum aliquem sublimari videmus[a]—; "blasphemiam" contra Deum; "turpem", id est, qui non convenit.

"Expoliantes" per imitationem "veterem hominem cum actibus", id est actus veteris hominis, scilicet Ade. "Et induentes", id est imitantes, "novum", id est Christum, et ita, quod cotidie in vobis renovetur. Nec ponamus nobis metas ad modum iuvencularum, que semper se renovant numquam dicentes: Satis est nobis hoc facere; sed unaqueque semper, que quidem retro sunt,[b] obliviscens, ut supra, ad ea vero, que priora sunt, seipsam extendens, semper de renovatione cogitat. Quod quia vetule, de quibus magnum forum est, non faciunt, nec Deo placent. Ille enim sunt illi tepidi, quos Deus ab ore suo evomet, qui semper metam sibi prefigunt dicentes in cordibus suis: Satis est. Et hoc est "qui", scilicet Christus, "renovatur" cotidie in membris suis. Et hoc "in agnitionem", ut de die videlicet in diem in cognitione eius[c] crescatis et proficiatis et ita "secundum imaginem eius", ut videlicet singulis diebus similiores Deo simus. Quanto enim perfectiores, tanto magis ad imaginem,[d] id est ad similitudinem Dei accedimus. "Eius", scilicet Patris, qui videlicet "creavit eum", scilicet Christum.

"Ubi", id est in Christo, "non est" etc., id est nullus sexus abicitur, nulla natio, nulla conditio, sed omnes, cuiuscumque conditionis recipit et in omnibus unus Christus est, cui non est acceptio personarum. Et hoc est "sed omnia".[e]

"Induite ergo". Dixi: Induentes novum hominem, et ut induatis "ergo induite vos" ita, "sicut" illi, qui a Deo electi sunt et iam sanctificati per dilectionem. Induite, dico, "viscera misericordie" etc., id est imitamini Christum in omnibus istis et primum in misericordia, de qua ipse ait: Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.[772] Non

---

[a] et sublimatione—videmus] *in margine* [b] sunt] *inter lineas* [c] eius] *inter lineas* [d] imaginem] ungornem [e] omnia] *sequitur vacuum duarum tertiarum partium lineae*

---

[772] Luc. 6,36

dixit tamquam, sed sicut, similitudinem notans, non equalitatem.[164*]

"Benignitatem". Et quid irem per singula? "Supportantes invicem et donantes", id est condonantes. Illi autem se supportant, qui sibi[a] invicem communicant, ut, qui dives est, paupertate alterius communicet et econverso iste[b] opulentia illius participet, quasi unus quandam partem divitiarum alterius suscipiat et iste quandam partem paupertatis illius, ut ita alter ab altero portetur et iuvetur. Veluti, cum quis portet trabem, veniat frater et iuvet fratrem, ne frater in hoc gravetur. De ista supportatione supra meminit dicens: Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi.[773] "Donantes", dico "vobismetipsis", id est invicem alter alteri, "si quis", id est, si aliquis, "adversus" etc., hoc est conqueri habet de fratre, ei potius condonet. Et merito, quia, "sicut et Dominus donavit", id est condonavit, acsi diceret: Exemplo Domini id faciatis.

"Super omnia autem". Quasi dicat: Et super omnia hec, que dicta sunt, benignitatem videlicet et humilitatem etc., caritatem imitamini potius. Sed cum hic dicat: Super omnia hec, et paulo ante posuerit, nomina virtutum misericordie, benignitatis, humilitatis, quarum unaqueque caritas est, nota nomina illa non ad ipsas virtutes ibi applicari, sed ad effectus earum. Quod frequenter solet fieri. Veluti cum dicitur: Da michi de caritate tua: fac michi misericordiam.

"Quod est", id est, que caritas vinculum est perfectionis, id est vincit nos et conducit ad perfectionem.

"Et pax Christi", id est tranquillitas illa mentis, quam per Christum habemus, in sedandis videlicet motibus illicitis, "exultet", id est cum gaudio perseveret, "in cordibus vestris", ut videlicet corda paccata habeatis. "In qua", scilicet pace, id est pro qua habenda, et vos "vocati estis" per

---

[a] sibi] *correctum ex* se [b] iste] *inter lineas*

---

[773] Gal. 6,2

[164*] *Sent. Herm.*, c. 32 (PL 178, 1748C sq.)

Christum "in uno corpore" illius, quod est ęcclesia. "Et" vos "estote" semper "grati" de beneficiis Dei gratias ei semper agentes.

Et "verbum Dei" sive ad predicandum sive ad psallendum "habitet in vobis", id est permaneat, "in vobis habundanter in omni sapientia", id est in omni eo, quod ad salutem necessarium est. "Docentes et commonentes". Alii tamen docendi sunt et alii commonendi. Doctrina enim spectat ad illos, qui nondum audierunt, quibus necessaria est. Qui vero audierunt et iam edocti sunt, necessaria est exortatio, ut id, quod edocti sunt, implere velint. Et ideo, ut in exordio meminimus, scripture alie docent, ut ewangelium, ubi docemur, quid faciendum, quid non; alie movent animos edoctorum, veluti epistole ille, ad obediendum eis, que iam edocti sumus.

"In psalmis". Haimo:[774] Si componitur et non cantatur, non est himnus. Si cantatur et non in laudem Dei, non est himnus. Himnus autem latinos Ambrosius et Hilarius composuerunt precipue cantica Moysi, Anne, Deborre. Canticum ore solummodo profertur; psalmus addito instrumento, id est psalterio.[a]

Et in omnibus istis "in gratia", id est in gratiarum actione. Sic et hodie ordinata est ęcclesia, que et psalmos habet a David et himnos habet et cantica habet. Et quia nichil valet oratio oranti, nisi mentem adhibeat, quia, ut dicit beatus Gregorius,[775] sic stemus ad psallendum, ut menti nostre concordet vox nostra, subiungit: "cantantes in cordibus vestris Deo".

De sacerdotibus autem quid dicemus, qui ea, que dicunt, non attendunt verba, imo interim potius, que concubine sunt, cogitant, non que Dei—sunt autem tamquam cimbalum tinniens,[776] quod se ipsum consumit et nichil tamen proficit—tota die psalmos, himnos cantantes et cantica, in quibus

---

[a] et non in laudem . . . — psalterio] *in margine*

---

[774] *In epistolam ad Ephesios* c. 5 (PL 117,728). [775] Cf. Gregorius, *Moralium, lib.* 10 c. 15 n. 26 sqq. (PL 75,935 sqq.); *lib.* 22 c. 17 n. 43 (PL 76,238). [776] 1 Cor. 13,1

potius querunt, ubi est nummus quam ubi est Deus, quem ipsi pro uno etiam nummo vendunt, cum Judas tamen plus acceperit. Horum tamen oratio, quamvis sibi quicquam non prosit, prodest et populo, quia Deus tantam vim verbis illis dedit, ut a quocumque sacerdote quantumcumque lecatore dicta sua nequaquam careant efficacia.

"Omne". Dixi: Hec et illa facite, sed omnia, quecumque facitis, ad gloriam Dei applicate, ut ipsum supremam causam et finem omnium, quecumque agitis, constituatis, quia, ut supra meminit apostolus, sive commedimus sive bibimus sive aliquid aliud facimus, omnia ad gloriam Dei fiant.[777] Sive enim quis uxorem ducat sive aliud quid faciat, non pro vineis, non pro terris, non pro castellis ducat, sed propter Deum, ut videlicet una contentus per fornicationem suum non offendat creatorem.[165*] Et hoc est "omne, quodcumque" videlicet "facitis", et hoc aut "in verbo aut" etiam "in opere", id est loquendo vel operando. "Omnia". Quia singulariter dixerat omne, videlicet tamquam minus dictum sit quam oportuerit, eius subiungit plurale. Et hoc est "omnia", quecumque videlicet agitis, facite, subaudis, "in nomine Domini", id est ad nomen Domini dilatandum et glorificandum, id est ad notitiam illius, que per nomen accipitur, amplificandam. Nota enim et celebria dicuntur habere nomen, ignominiosa vero sine nomine esse, et ideo per nomen notitiam sepe accipimus. Et hoc "gratias agentes Deo et Patri", id est Deo, qui Pater est, et hoc "per ipsum", id est per Dominum nostrum Jhesum Christum, per quem, sicut donum habemus, ita etiam oportet, ut gratie a nobis reddite per eundem Deo placeant. Hinc consuevit ecclesia in fine orationum per Dominum nostrum Jhesum Christum habere, ut videlicet in Christo, a quo incepit, in eodem etiam consumetur.[a]

---

[a] ... ant. Hinc—consumetur] *habetur iam in margine inferiore*

---

[777] 1 Cor. 10,31

[165*] Cf. Abaelard., *Theologia, lib.* 1 c. 1 (PL 178,983); *Sent. Herm.*, c. 1 (PL 178,1695)

|| "Mulieres". Post communia et generalia precepta, ut in 149r
epistola ad Ephesios factum est, quedam privata et specialia ponit docens, qua caritate alii erga alios debent se habere, veluti mulieres erga viros, filii erga parentes, servi erga dominos et econverso. Et primum de mulieribus dicens: "mulieres subdite" etc., id est viris vestris obedite, et hoc "in Domino", id est in illis que contra Dominum non sunt. In eis enim, que contra sunt, nullam debent obedientiam. Et vos, "viri, diligite uxores vestras". In singulis in Domino subauditur. "Amari", id est asperi, ne videlicet eas exasperetis, sed eis eo modo, quo oportet, mites estote.

Et vos, "filii, obedite", id est obedientiam exhibete. Et hoc "per omnia", sed in Domino, subaudis. Et merito, quia "hoc", scilicet patribus obedire, "placitum" etc. "Ad indignationem", id est ad iram, "ut" videlicet "non fiant pusillo animo", id est ne in desperationem de se veniant dicentes: Quis nos recipiet, postquam patres nos abiciunt.

Et vos, "servi, obedite per omnia", in Domino, iterum subaudis, "non ad" etc., id est non quasi querentes hominibus placere et non Deo, quod est carnalium. Imo "in simplicitate" etc., id est cor simplex habentes, ut videlicet sic habeatis in mente, sicut in opere exhibetis. "Timentes Deum", ut filii videlicet. Et ita "quodcumque facitis" etc., id est ita facite, ut Deum finem ponatis, non hominem. Vos, dico, "scientes", id est attendentes, quod videlicet "accipietis a Domino retributionem hereditatis", id est hereditatem ęternam in retributionem. "Domino", acsi diceret: Et ita in omnibus servite illis, ut in illis Domino potius quam illis servitis. Et hoc est "servite Domino Christo", in universis, videlicet que facitis. Et timendum est, si non feceritis, quia "qui iniuriam facit" etc., id est pro eo punietur, quod male egerit nec quemquam personatus suus tuebitur, quoniam Deus personarum acceptor non est. Et hoc est "et non est personarum" etc.

[Cap. 4]

Ideo autem et vos, "Domini," etc., id est tales estote illis, quales oportet. "Scientes", id est attendentes, quia eundem Dominum habetis, qui de vobis et illis iudicabit.

"Orationi". Rursus communiter ad omnes. "Instate orationi", id est in oratione assidui estote. "Vigilantes in ea", id est persistentes in ea. Et hoc "in gratiarum actione", id est agendo gratias Deo. "Orantes simul", id est omnes, etiam "pro nobis, ut" videlicet "Deus aperiat hostium sermonis", id est faciat apertum introitum vestri sermonis, "ad loquendum misterium Christi", id est ad predicandam doctrinam Christi, quam ministerium appellat, quia, ut supra meminimus, diu occultum fuit, an gentes ad fidem vocande essent. "Propter quod" scilicet ministerium "etiam" preter alias pressuras iam "vinctus sum", id est ligatus,[a] "ut manifestum". Aperiat, dico, ad hoc, "ut" videlicet "manifestem", id est predicem et revelem, "illud", scilicet ministerium Christi, "ita ut oportet" etc., id est eo modo, quo oportet me predicare. Vel vinctus ita, "ut" in vinculis etiam "manifestem" etc.

"In sapientia", id est in discretione et sine reprehensione, "ambulate ad eos" etiam, "qui foris sunt", id est infideles, ut, quid reprehendant in vobis, non inveniant et sic ad fidem facilius convertantur. Vos, dico "redimentes tempus". Illi tempora redimunt, qui tempora ad suam utilitatem applicant, que prius habebant tamquam in radio posita, ut nec eis ad modum radiorum in bonum sibi uterentur.

Et "sermo vester semper sit in gratia", id est[b] in edificatione, "conditus sale", id est discretione, que mater est omnium virtutum,[c] ut videlicet singulis vos contemperetis, prout unusquisque capax est, et hoc propter Deum. Quod

[a] ligatus] lagatus [b] id est] *inter lineas* [c] que—virtutum] *inter lineas et in margine*

exponit dicens, "ut" videlicet "sciatis" etc., id est eo modo unumquemque, quo convenit instruere. Ideo autem in lege in sacrificiis sal apponebatur, ut videlicet cum discretione fierent et ad Deum tamquam ad eum finem, ad quem debent omnia applicari, applicarentur.

"Que circa". Finiturus epistolam, quia illi plurimum[a] desiderabant scire, que circa ipsum agerentur, dicit, quia Thicicus omnia illis notificabit, quem etiam ad eos asserit se ad hoc[b] misisse, ut ipse sciret, quid et ipsi agerent. Et hoc est "que circa" etc. minister fidelis, qui videlicet fideliter ea, que Christi sunt amministrat. "Conservus in Domino", id est servus Christi sicut et ego. "Omnia". Istos misi ad vos, et hii "omnia, que" videlicet apud me fiunt, manifestabunt vobis.

"Salutat". More suo incipit eos salutare dicens: "salutat vos", fratres, "Aristarchus", proprium nomen, "concaptivus". Iste autem cum apostolo captus erat et ligatus, quem ideo concaptivum appellat. "Consobrinus". Isti de duabus sororibus erant dicti consobrini tamquam consorarii. Et per Barnabam apostolum, cuius consobrinum Marcum esse dicit, Marcum eis commendat, ut eum, cum ad vos venerit, in maiori auctoritate habeant. "De quo", scilicet Marco vel Barnaba. "Si venerit", scilicet Marcus, "excipite illum", id est eum honorifice suscipite. Et "qui sunt in circumcisione", id est iudei, "hii soli" ad presens. "In regno Dei", id est in ęcclesia Dei. "Solatio", in meis videlicet tribulationibus. "Epafras". Iste eos, ut supra meminimus, ad fidem convertit, quem eis multum commendat. "Perfecti et pleni", pro eodem. "In omni voluntate Dei", id est in omnibus, que Deus approbat.

"Testimonium enim". Et vere sollicitus pro vobis, quia ego "prohibeo" etc., id est multum laborat pro vobis et pro illis.

"Lucas medicus". Iste Lucas fuit ewangelista et medicus christianorum specialiter. In primitiva enim ęcclesia, cum pauci essent christiani, medici gentium non dignabantur

---

[a] plurimum] *inter lineas* [b] ad hoc] *inter lineas*

christianos curare nec eis mederi. Iste autem providebat illis et quandam epistolam permultum utilem eis scripsit docens de omnibus medicinis, que a pluribus habetur.

"Salutate fratres, qui sunt Laodicie". Laodicenses his erant vicini, quibus predicaverat Epafras et ad fidem converterat. "Et Nimpham", proprium nomen cuiusdam matris familias, que optima mulier erat et in domo cuius magna pars erat fidelium, quam ipse ęcclesiam appellat, id est fidelium congregationem.

"Et cum lecta" etc. Rogat, antequam finiat epistolam, ut videlicet, cum ipsa lecta fuerit ab illis, legatur etiam a Laodicensibus, qui illis erant proximi et iterum epistolam illorum et isti legant, que in corpore epistolarum non fuit posita, quamvis tamen et habeatur. Ut enim dicit beatus Gregorius super Job,[778] cum multo plures epistolas scripserit apostolus, non tamen nisi XIIII in unum volumen composite sunt et ordinate. Et hoc ad figuram, ut videlicet[a] decem decalogum, id est vetus testamentum, quod decalogus dicitur, significarent, IIIIor vero personales novum testamentum, id est IIIIor ewangelia, que a IIIIor etiam scripta sunt.

"Et dicite Archippo". Iste autem erat eorum episcopus, cui per ipsos mandat et rogat, ut in suo ministerio se habeat eo modo, quo oportet. Et hoc est "vide ministerium", id est attende hanc tuam ministrationem, que tibi a Deo credita est, ut videlicet eam "impleas", id est eo modo eam dispenses, quo convenit.

"Salutatio mea" etc. Hanc suam salutationem in singulis epistolis faciebat, quam et ipse scribebat tamquam ad sig-

---

[a] videlicet] IIII et

---

[778] *Moralium, lib.* 35 c. 20 n. 48: Et recte vita sanctae Ecclesiae multiplicata per decem et quatuor computatur, quia utrumque testamentum custodiens et tam secundum legis decalogum quam secundum quatuor Evangelii libros vivens usque ad perfectionis culmen extenditur. Unde et Paulus apostolus quamvis epistolas quindecim scripserit, sancta tamen Ecclesia non amplius quam quatuordecim tenet, ut ex ipso epistolarum numero ostenderet, quod doctor egregius legis et evangelii secreta rimatus esset.

num et ad sigillum epistole, ut sua deprehenderetur. Et hoc est "manu Pauli", quia manu illius propria hoc scribebatur.

"Memores estote vinculorum meorum", ut videlicet in tribulationibus meis confortemini in vestris et constantes sitis exemplo mei. Et ad hoc oro, ut videlicet "gratia Domini" etc., id est Deus per Dominum Jhesum aliquod donum, quod nondum habuistis, vobis impertiat vel in impertito confirmet, ut in eo, quod iam accepistis, perseveretis et ita ad id, ad quod vocati estis, tandem pertingatis. Amen.

[In primam epistolam ad Thessalonicenses.]

"Paulus"[a] etc. Thessalonicensibus, quos ipse ad fidem converterat, duas scribit epistolas. Hii autem probi erant, qui accepta fide in veritate ewangelii firmiter perstiterant et pseudoapostolis non consenserant et in tribulationibus viriliter steterant. A suis enim contribulibus permulta passi erant ad modum fidelium, qui erant Jerosolimis, qui de iudeis conversi ab ipsis iudeis vehementer infestabantur. Hos autem laudat, ut alacriores eos reddat,[b] monens, ut exemplo sui non deficiant. Quidam tamen inter illos erant, qui de resurrectione mortuorum non eo modo, quo oportebat, credebant desperantes de suis mortuis quasi numquam resurrecturis. Illos autem consolatur de resurrectione instruens, quod ab eis credi necesse est.

[Cap. 1]

Et premissa salutatione sic incipit dicens: "Paulus" etc. Istos secum connumerat, quia de illis multum erant solliciti et illis sepe predicaverant, qui etiam cum apostolo erant in conversione illorum.[c]

"In Deo" etc. Quasi dicat: Ęcclesie, dico, fundate "in Deo" etc. Et inde "gratia vobis" etc., ut supra. "Gratias" etc. Ab actione gratiarum incipit. Et hoc est "gratias" etc., id est laudamus et glorificamus Deum. Nos, dico, "facientes" etc., id est, quotiens oramus, de vobis semper memoriam habemus. "Memores". Agimus gratias et merito, quia "memores operis fidei vestre", id est fidei vestre, que operatur in vobis. "Sustinentie", id est patientie in tribulationibus, quam per spem habetis a Christo Jhesu datam, qui ait: Beati, qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est

---

[a] Paulus] aulus [b] ut alacriores eos reddat] *inter lineas* [c] qui etiam—illorum] *inter lineas*

regnum celorum.[779] Hec enim spes consolatur sanctos in tribulationibus, ut quascumque pressuras quasi pro nichilo ducant dicentes sibi: Si magna est tribulatio, que cura, quia ecce, quantum gaudium vos expectat, quibus celum promittitur. "Ante Patrem". Acsi diceret: Facientes, dico, in orationibus || nostris memoriam vestri.[780] Et hoc "ante 149v
Deum" etc. Tunc est oratio ante Deum, quando tota intentio orantis ad Deum applicatur, quomodo sacerdotes pauci orant, quorum oratio sepius est ante ollam vel ante meretricem quam ante Deum.

Nos, dico, "scientes elationem vestram", id est vos a Deo electos esse, O vos "fratres dilecti a Deo", id est, qui a Deo dilecti estis et ita electi. Et per hoc scientes, quia videlicet "ewangelium" etc., id est non solummodo predicatio nostra in verbis fuit, "sed in virtute", id est miraculis, que dona sunt Spiritus Sancti, que nostram predicationem virtuosam reddebant in nobis et hoc non in uno miraculo, sed "in plenitudine multa". Vel "in virtute" etc., id est in vita spiritali, que nos multum commendabiles apud vos faciebat, qui opere implebamus, quod verbo predicabamus.[a] Nichil enim, quod tantum predicationem commendet quam bona vita predicatoris, et econtra nichil, quod adeo arguat quam vita contraria.[b] Unde supra: Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne, cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar.[781] Et hoc non in una virtute, que nos commendaret, sed "in plenitudine multa". Et hoc "propter vos", id est propter salutem vestram.

"Et vos" ita "facti estis" etc. Vos, dico, "excipientes", id est in verbo Dei recepto persistentes, "in multa tribulatione", quia, quamvis magna immineret tribulatio, non tamen deficiebatis, imo cum gaudio, quod ad Deum est, sustinebatis quascumque pressuras scientes, quia tandem magnam habebitis coronam. Et hoc est "cum gaudio Spiritus

[a] qui opere—predicabamus] *inter lineas* [b] et econtra—contraria] *inter lineas*

[779] Matth. 5,10 [780] Cf. Rom. 1,9 sq.; Eph. 1,16 [781] 1 Cor. 9,27

Sancti", id est cum gaudio spiritali. Vos dico imitatores, "ita ut" videlicet iam "facti sitis forma", id est exemplum. Et bene dico: Forma, quia "a vobis", id est per vos iam "diffamatus", id est dilatatus est. Et hoc "ita ut" videlicet iam "non sit nobis necesse loqui", qualiter videlicet predicatio nostra introivit ad vos, quia etiam ipsi "annuntiant", id est predicant. "Ab ira", id est a dampnatione.

[Cap. 2]

"Nam". Annuntiant, dico, qualem introitum habuerimus apud vos. De quo introitu non oportet nos erubescere, quia vos "scitis introitum" etc., quia videlicet "non inanis fuit", id est sine fructu. Sed nos "ante", quam videlicet ad vos venissemus, "passi" multa "in Philippis", in civitate illa, "sicut" et vos "scitis". "Loqui ad vos", id est predicare vobis, "in multa sollicitudine", id est multum sollicite.

"Exortatio enim". Et vere non fuit inanis, quia "exortatio" etc. Sed ita vere, "sicut probati", id est electi "sumus" etc., "qui probat corda", id est probator cordium et renum attendens intentiones cuiusque, non opera, que tam probis quam reprobis communia sunt.

"Neque enim". Quasi dicat: Et vere in dolo non fuit exortatio nostra, quia neque "aliquando fuimus" apud vos "in sermone adulationis", "neque in occasione avaritie", quia, cum possemus vestra accipere, nolumus, ne aliis daremus occasionem rapiendi vestra. Et super hoc "Deus testis est" nobis. "Neque". Et vere non fuimus in sermone adulationis vel in occasione avaritie, quia nec etiam "querentes gloriam". Multi enim, scilicet qui divitias contempnunt et tamen gloriam appetunt.

"Neque a vobis". Et vere non ab hominibus, quia "neque a vobis neque ab aliis". Acsi diceret: Nichil horum fecimus, "cum" tamen "possemus" etc. "Parvuli", id est humiles et nullum in vobis dominium ostendentes. Sed "tamquam" etc., id est ad modum nutricis circa vos solliciti eramus in dilectione predicantes vobis. Et "ita", id est ad similitudinem nutricis, "desiderantes vos", sed et "animas vestras", id est, etiamsi opus fuerit[a] pro vobis mori. Unde supra:

[a] fuerit] fuderū

Ego autem libentissime impendam et superimpendar pro animabus vestris.[782]
"Memores enim". Dixi, quia fuimus inter vos in magna sollicitudine, non in sermone adulationis, non in occasionem avaritie, et super his omnibus induco testimonium vestrum, quia vos, fratres "memores estis" etc., id est laboris nostri usque ad fatigationem. Et hoc est "operantes nocte et die" etc. Apostolus enim non solum in die, quando oram sibi statuerat ad operandum, sed etiam in nocte operabatur tentoria faciens cum Aquila suo hospite, que vendebat et inde vivebat, quibus homines illius terre, que vehementer calida est,[a] multum utuntur pro calore.

"Quam sancte" in vobis, "iuste" apud alios, reddendo unicuique, quod suum est, et ita "sine querela", id est ita, quod nemo videlicet poterat de nobis conqueri. "Deprecantes", id est exortantes vos. "Et consolantes" in tribulationibus et pressuris vestris et nostris. "Testificati sumus", id est predicavimus vobis. Predicationem enim suam testificationem appellat, quia in predicatione sua ad singula, que proferebat, congruam afferre sciebat[b] auctoritatem vel rationem, qui in lege peritus erat et in rationibus reddendis longe astutior quam alii.
"Digne Deo", id est ita digni essetis vocatione Dei, qui videlicet "vos vocavit". Hic "in regnum", id est ęcclesiam suam, et in futuro "in gloriam", id est in ęternam beatitudinem.

"Ideo et nos". Quia videlicet a vobis sermo Dei diffamatus est et fides vestra, que ad Deum est, non solum in Macedonia et in Achaia, sed in omni loco profecta est, et quia vos facti estis forma omnibus credentibus, et quia vocavit vos Deus in regnum suum et gloriam, pro his, inquam, omnibus "agimus Deo gratias sine intermissione" pro vobis. Et merito, quia, cum "accepissetis" verbum nostrum, "accepistis verbum auditus Dei", id est tamquam verbum auditum a Deo. Quod exponit dicens: "non ut verbum" etc.

---

[a] que—est] *inter lineas et in margine* [b] sciebat] *inter lineas*

---

[782] 2 Cor. 12,15

"Vos enim". Ad deliberationes eorum venit, ut in illis eos confortet et alacriores reddat laudens illos, ut quibuscumque pressuris imminentibus constantius perseverent, quia, ut supra meminimus, isti a contribulibus suis passi sunt multum, quemadmodum illi fideles, qui Jerosolimis erant, in quibus ęcclesiam incepit, quos a iudeis conversos alii iudei, qui nomen Christi super omnes gentes infestum habebant, quantum poterant, infestabant et persequebantur, ut, si quomodo illos primos christianos extinguerent, Christi nomen omnino extirparent.

Continuatio: Bene, qui operatur in vobis, quia "vos facti estis imitatores ęcclesiarum". Cum autem sit ęcclesia una in unitate fidei, diverse tamen dicuntur pro diversitate locorum sive etiam pro diversis congregationibus fidelium. Veluti diverse terre dicuntur, cum tamen una sit pro diversitate gentium. Fidelium quippe congregatio ęcclesia appellatur. Et in Judea iam diverse fidelium congregationes erant, quas pluraliter ęcclesias appellat. Et hoc est ęcclesiarum, id est illarum congregationum fidelium Dei, qui "sunt in Judea" fundati "in Christo Jhesu". Et vere imitatores, quia eadem etc. Contribules dicuntur illi, qui sunt de eadem tribu.

"Et Deo non placent", imo displicent, qui ęterne dampnationi deputati sunt. "Et omnibus hominibus adversantur", id est adversi sunt et contrarii, qui, cum nolint ad fidem Christi venire, volunt, ut alii non veniant. Et hoc est "prohibentes" etc., "ut" ita "impleant", id est multiplicent de die in diem, "peccata sua". Et vere non placent, quia "ira Dei", id est iusta Dei vindicta "pervenit super illos", ut videlicet dampnentur. Et hoc "usque in finem", quia in fine reliquie salve fient.

"Nos autem". Item, qualem affectum erga illos habeat, monstrat docens, quantam desolationem habet, quia diu eos non viderit, diu cum illis locutus non fuerit, quantum etiam veniendi ad illos desiderium habet. Et hoc est "nos autem desolati", id est tristes facti pro vobis, et hoc "ad tempus". Desolati, dico, "ore", quia diu est, quod vobis cum locuti

sumus. "Aspectu", quia diu est,[a] quod vos non vidimus. Sed tamen "non corde", quia, ut alibi dicit: Quamvis corpore absens, spiritu tamen presens sum.[783] Et ideo sic desolati "festinavimus habundantius videre faciem vestram cum multo desiderio", quod videlicet habemus erga vos. Et quare festinavimus? Quonam videlicet "voluimus venire ad vos". "Ego quidem Paulus" inprimis "et semel et iterum", id est bis. "Sed satanas impedivit nos", qui solet impedire, ex ea videlicet potestate, que est a Deo sibi concessa. Vult enim Deus suos ab ipso et a membris eius tribulari, ut tamquam aurum per fornacem[784] purgentur et de die in diem fiant meliores, quia, ut supra dictum est, datus est michi stimulus satane, qui me colafizet,[785] quoniam virtus in infirmitate perficitur.[786] "Que enim". Dixi cum multo desiderio, et merito, quia "que est nostra spes" etc., id est, unde possumus sperare nos gaudere, coronari, gloriari, nisi ex vobis, qui estis gaudium, gloria, corona nostra, in die videlicet adventus Domini nostri Jhesu Christi. Et hoc est, quod supponit "Nonne vos", videlicet "estis" gloria et gaudium nostrum. Et hoc "ante Dominum" etc., id est in illo extremo iudicio, quando omnes sedebimus ante tribunal Domini,[787] acsi diceret: Ita utique, quia "vos estis gloria et gaudium".

---

[a] est] *inter lineas*

---

[783] Coloss. 2,5 [784] Cf. Sap. 3,6 [785] 2 Cor. 12,7 [786] 2 Cor. 12,9
[787] Rom. 14,10

[Cap. 3]

"Propter quod". Quia videlicet tantum desiderium erga vos habemus, gloriam nostram et coronam, "placuit nobis solis remanere Athenis", id est disposuimus, ut nos soli, ego videlicet Paulus et Silvanus Athenis interim remaneremus, dum Thimotheus veniret ad vos. Et ita "non amplius sustinentes" absentiam vestram "misimus" ad vos "Thimotheum" etc. Ita enim construere debes nec ebraicas mireris constructiones, que nullum ordinem servantes crebris intercisionibus referte sunt. "Ministrum" fidelem "in ewangelio", id est in predicatione Christi dilatanda. Misimus, dico, "ad confirmandos" id est ad vestram confirmationem et exortationem, "pro fide vestra" confirmanda et multiplicanda, ut videlicet in eo, quod accepistis, firmiter stetis et pro nulla adversitate a fundamento vestro avellamini. Et hoc est, ut "nemo" videlicet vestrum "moveatur", id est infirmetur in fide sua, et hoc "in tribulationibus istis", id est pro tribulationibus istis, quas tolleramus pro Christo, pro quibus moveri non debetis, quia vos "ipsi scitis", quod videlicet "in hoc positi sumus", id est a Deo constituti sumus, ut ita pro Christo patiamur. Et ideo nolite de nobis desperare vel propter nostras pressuras in vobis ipsis infirmari, quia etiam, "cum apud vos essemus, predicabamus", id est prenuntiavimus vobis nostras tribulationes eodem modo quo postmodum contigerunt, et sicut vos scitis eas contigisse, quas voluimus vos prescire, ut, cum venirent, minus lederent vos, quia levius ledit, quicquid predicimus ante. Et "propterea", quia videlicet passi sumus, sicut prediximus, ego quidem timens de vobis "et amplius non sustinens", vestram videlicet absentiam, "misi" Thimotheum, ut diximus, || et hoc "ad cognoscendam fidem", id est, 150r
ut cognoscerem, qualiter credatis, "ne" videlicet diabolus "temptaverit", id est temptando vos seducat, "qui temptat", id est, qui in temptando assiduus est. Et ita "fiat labor

vester inanis", id est non proficiat vobis. "Nunc autem". Misi, inquam, ad hoc et "nunc veniente", redeunte, "Thimotheo", quem videlicet misi, "et annuntiante" etc., id est, quam salubriter credatis, quam honeste vivatis in caritate fundati et radicati, et quia videlicet "memoriam nostri habetis bonam", non in malo, sed in bono semper et propter Deum. "Semper desiderantes", id est semper habentes desiderium vivendi nos, et hoc exemplo nostri, qui et vos desideramus. "Ideo", id est pro omnibus istis, que de vobis audivi, bonis "consolati sumus", id est consolatium habemus, "in vobis", id est de vobis. Et hoc "in omni necessitate et tribulatione", id est in quibuscumque pressuris nostris. Necessitate in cibo et potu, tribulatione in cetera quacumque afflictione, que extrinsecus venit. Consolati, dico, et hoc "per fidem vestram", id est propter fidem vestram, quam habetis in Deo. Et merito consolati, quia videlicet "nunc vivimus", id est vestrum stare "in Domino", id est in eis, que Deus aprobat, est nostrum vivere, id est gaudium nostrum. Et vere nunc vivimus, si vos statis in Domino, quia "quam actionem gratiarum", id est quas gratias condignas possumus Deo agere tamquam in retributionem "pro vobis", id est pro beneficiis suis vobis impertitis. Et hoc "in omni gaudio", id est pro universo gaudio, quod habemus propter vos. Et non ita tamen propter vos, ut vos in fine ponamus, sed Deum, ad quem, quicquid facimus, referendum est.[166*] Et hoc est "ante Dominum" etc. Nos, dico, "orantes nocte et die" tanto "habundantius" quanto vos audimus ferventiores esse. Ad hoc, dico, orantes, "ut" videlicet "videamus faciem vestram". Et ita per adventum nostrum "compleamus" etc., id est confirmemus vos in fide vestra. Et ut veniamus "ipse Deus", qui videlicet potest, et "Pater noster", qui videlicet vult, et "Dominus Jhesus Christus", per quem videlicet fit, quicquid habemus, "dirigat viam nostram", id est expeditam faciat et ab impedimento liberam, ut sic veniamus "ad vos". Et ut, cum venerimus, inveniamus vos tales, quales deside-

[166*] Cf. Abaelard., *Theologia, lib.* 1 c. 1 (PL 178,983) ; *Sent. Herm.*, c. 1 (PL 178,1695)

ramus, "Dominus multiplicet", hoc est "faciat habundare caritatem" etc., ut etiam[a] caritatem habeatis erga eos, qui foris sunt. Multiplicet, dico, et hoc ita, "quemadmodum et nos" multiplicavit "in vobis ad confirmanda corda vestra in sanctitate", non que in lege est, sed in spiritali, que "ad Deum" est, id est, que Deo placet, ut ita sitis "sine querela," id est, ut nemo de vobis possit conqueri. In sanctitate, dico, non que sit momentanea, sed que duret usque "in adventum Domini", qui erit "cum omnibus sanctis eius". Veniet enim Dominus cum omnibus sanctis eius ad iudicandum in maiestate magna.

---

[a] etiam] *inter lineas*

[Cap. 4]

"De cetero ergo". Dixi ad confirmanda corda vestra in sanctitate ante Deum, quam sanctitatem, ut habeatis et in habita perseveretis, rogo, ut eam doctrinam, quam vobis tradidi, teneatis et pseudoapostolis non assentiatis. Et hoc est "ergo de cetero", id est deinceps, "rogamus" etc. Non dico, stetis, sed ambuletis, "ut" videlicet de virtute in virtutem ambulantes "magis" de die in diem "habundetis". Et non potestis vos excusare de preceptis Dei, quia vos ipsi "scitis, que precepta dederim vobis", et hoc "per Dominum nostrum Jhesum", cuius sunt precepta, non mea. Et ideo in illis ambulate.

Et merito, quia "hec est voluntas Dei", ad vestram videlicet sanctificationem, "ut" vos, quemadmodum a nobis accepistis, "abstineatis vos a fornicatione". Hoc maxime in illis notat, quia unum erat de illis, propter que precipue hanc eis scripserit epistolam. Abstineatis, dico, "ut" ita "unusquisque vestrum sciat possidere", id est servare, "vas suum", id est corpus suum, in quo anima est tamquam in vase suo, et hoc "in sanctificatione", ipsius videlicet anime, "et honore", ipsius videlicet vasis, quia in illo coitu fornicationis non solum polluitur anima, sed et corpus coinquinatur, et ideo de hoc maxime providendum est, ubi utriusque dignitas periclitatur. "Non in passione desiderii". Vocat passionem desiderii afflictionem, que ex desiderio provenit, quamcumque, per quam natura nostra violatur, que videlicet dignitati nostre nature derogat, veluti fornicatio, ubi natura pati dicitur et affligi, cum ibi corrumpatur et dignitas eius violetur.

Sed queritur, si desiderare fornicari peccatum sit.

Non[167*] utique, quia voluntates naturales sunt. Si enim, cum

[167*] Cf. Abaelard., *Ethica seu scito te ipsum*, c. 3 (PL 178,639)

sim monachus, carnes desiderem vel transiens iuxta virgultum videam poma pulcherrima, quorum esu capiar, cum tamen edere non debeam, non pecco, si voluntati non consensum adhibuero, cum intelligam aliter faciendum esse, peccatum est. Cum enim non retrahimur propter Deum ab eo, quod Deo displicere intelligimus, peccamus. Quippe consensus peccatum est, non voluntas. Et tunc precipue meremur, quando propter Deum contra id, quod volumus, facimus divinam voluntatem nostre preponentes.

"Sicut et gentes". Non in passionibus, dico, desiderii, quemadmodum "gentes" faciunt, "que ignorant Deum". Cum autem ignorent, non peccant, sed tamen non salvantur, cum sola etiam ignorantia ad dampnationem sufficiat. Quippe qui Christum non credit, hec ignorantia ei ad mortem potest sufficere.

"Ut ne quis". Acsi diceret: Hec est Dei voluntas, ut abstineatis a fornicatione, et iterum hec Dei voluntas est, "ut" videlicet "ne quis", id est, ne aliquis "supergrediatur". Quod exponit dicens: "neque circumveniat," id est decipiat, "fratrem suum in negotio", id est in vendendo merces suas. Quasi dicat: Nemo vestrum supra modum merces suas vendat. Et quare? Ideo saltem, "quoniam" videlicet "Deus vindex est de his omnibus", id est de fornicatione et de ultra modum merces suas vendere et huiusmodi. Et hoc ita modo dicimus absentes, "sicut prediximus vobis" presentes "et testificati". Suam predicationem, ut dixi, testificationem appellat, quia ad singula, que predicabat, et rationes et auctoritates afferre astutior ceteris erat.

"Non enim vocavit". Dixi, ut abstineatis a fornicatione et bene, quia "Deus non vocavit in immunditiam, sed in sanctificationem," id est non ad ea vocavit nos, que nos coinquinent, sed que sanctificent. "Itaque qui hec". Quia videlicet precepta, que ego vobis tradidi, sunt Christi Jhesu, igitur ille, "qui hec," scilicet precepta, "spernit", contempnit, "non hominem" etc., cuius videlicet sunt hec mandata, quem nullatenus contempnere debetis, quos tanta eius beneficia saltem possunt a contemptu retrahere creatoris, "qui" videlicet

"etiam", id est supra cetera dona hoc donum excellens dedit vobis, suum videlicet Spiritum Sanctum, id est amorem suum, qui vos sanctificet, quod donum enim distinguit filios Dei a filiis diaboli. Non tamen dicit: Dedit nobis, sed in nobis, ut perseverantiam notet.

"De caritate autem". Ut sepe meminimus, quidam de iudeis conversi Jerosolimis erant, quibus ceteri iudei omnia sua abstulerant et quantum poterant eos infestabant. His autem alie ęcclesie ministrabant, de quibus apostolus iste precipue solicitus erat. Unde supra: tantum, ut pauperum memores essemus.[788] Quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Et ideo in predicatione sua collectas faciebat, quas illis in sustentationem mittebat vel ipse etiam deferebat. De quibus in epistolis suis sepe mentionem facit. Nunc autem his, quibus scribit, dicit, quia non est necesse, ut eis de elemosinis, quas illis impertiant, scribat, cum et ipsi in eo ipso satis sint solliciti. Et more rethorice orationis dicit, quia de isto non habeo necesse scribere vobis, ut ita eis multo maiorem immittat voluntatem et de sollicitis sollicitiores reddat.[a] Et hoc est "de caritate" etc., quasi dicat: De predictis necesse habuimus scribere vobis; sed "de caritate" etc., id est de elemosinis, quas fratribus ex caritate impertiatis, "non habemus necesse" etc. Et nota, quod hoc loco caritatem effecta caritatis appellat, in quibus maxime apparet caritas.

"Ipsi enim". Supponit causam, quare non fuerit necesse, quia videlicet "ipsi didicistis, ut diligatis", id est ex dilectione impendatis invicem. Hic enim iterum verbum affectus designativum est[b] effectuum. Et quia possent didicisse et non fecisse, ideo subnectit: "Etenim facitis illud", id est dilectionem vestram exhibetis, non solum, dico, in pauperes illos sanctos Jerosolimitanos, sed et "in omnes sanctos in universa Macedonia", id est per Macedoniam universam.

---

[a] et de—reddat] *inter lineas* [b] est] *inter lineas*

---

[788] Gal. 2,10

"Rogamus". Quasi dicat: Et cum vos illud faciatis, nos tamen rogamus, ut in ista dilectione de die in diem proficiatis. Et hoc est "ut habundetis magis", id est crescatis, "et operam detis", id est curam habeatis, "ut" videlicet "quieti sitis", id est, ut alii alios non inquietent. Quosdam notat inter illos otiosos, qui discurrentes per domos aliorum illos inquietabant nolentes operari, volentes de operibus aliorum vivere. Hos autem ad operationem invitat, ut unusquisque de suo labore vivat et habeat, unde tribuat necessitatem patientibus. De quibus et in sequenti epistola dicet, ut videlicet, qui non vult operari, nec manducet.[789] Et hoc est "et ut vestrum", quasi dicat: Et quomodo quieti? Hoc modo, "ut" videlicet "vestrum negotium agatis", id est unusquisque vestrum aliquid agat, unde et se sustentet et alios. Quod exponit "et operemini manibus vestris", ita videlicet, "sicut precepimus vobis". Et hoc iterum rogamus, "ut" videlicet "honeste ambuletis" non solum ad fratres, sed "ad eos, qui foris sunt", id est infideles, ut non inveniant, quid in vobis arguant, sed ut potius eos ad fidem trahatis. Infideles foris esse dicit, quia omnes foris sunt, qui in Christo non sunt. Et ista, ut custodiatis, istud rursus rogamus, ut videlicet "nullius aliquid desideretis", id est non appetatis rem alterius,[a] ultra quod satis est, quia non concupisces rem proximi tui,[b] presertim cum natura nostra modico possit esse contenta, quia, ut Seneca[790] dicit, || ad manum est, quod natura 150v
postulat, ad superflua vero desudatur.

"Nolumus autem". Unum de principalibus capitulis ingreditur, de consolatione illa quorumdam, qui de morte amicorum suorum quasi numquam resurrecturorum dolebant. Quos ipse hoc loco consolatur ostendens, quia resurrectio erit et qualiter erit. Et hoc est "nolumus vos ignorare", id est volumus vos scire, de dormientibus, ut videlicet de mortuis vestris ita intelligatis, quemadmodum oportet. Quos tamen mortuos non vocat, sed dormientes, ut ex ipso nomine

---

[a] rem alterius] *inter lineas* [b] quia—tui] *inter lineas*

---

[789] 2 Thess. 3,10 [790] *Epistola ad Lucilium,* 4.

statim eos consoletur, intelligentes mortuos suos a somno mortis quandoque excitendos ad modum illorum, qui, cum dormiant, a somno quandoque excitantur.
"Ut non". Nolumus, dico, et non sine causa, sed "ut" videlicet "non contristemini", id est non doleatis "sicut ceteri" etc., id est gentiles, qui nullam spem de resurrectione habent. Et ideo gentes magna edificia faciebant, ut nomina sua in terris edificarent et tamquam ęterna facerent per illa elata edificia, que in memoria sui relinquebant.
"Si enim". Dixi, ut non contristemini de dormientibus vestris sicut et ceteri. Nec debetis, quia, sicut vere Christus mortuus est et resurrexit, ita vere ad similitudinem capitis et membra resuscitabit Deus. Et hoc est, quia, "si credimus", id est, sicut vere in fide habemus, quod videlicet "Christus mortuus" etc., ita vere "Deus et eos, qui dormierunt per Jhesum", id est, qui in Christo mortui sunt, "adducet", id est resuscitabit, "cum eo", id est ad similitudinem illius. Christus autem sicut propter nos mortuus est, ita et propter nos resurrexit, ut eius resurrectio nostre resurrectionis testimonium esset et nos in fide magis confirmaret. Ipse enim, sicut nec ascendendo, ita nec resurgendo melior fuit quam prius, sed nos multo meliores fecit, quia, sicut apostolus dicit, qui propter delicta nostra traditus est et propter iustificationem nostram resurrexit. Ante resurrectionem enim apostoli etiam in fide imbecilles erant, sed, ut supra meminimus, in resurrectione, sicut beatus dicit Ambrosius,[791] omnis de Christo abscessit dubitatio.

"Hoc enim". Vere adducet, quia nos "vobis dicimus" hoc "in verbo Domini", id est ita vere, sicut Dominus predicavit. Vel hoc dicimus in verbo Domini, id est ita vere, sicut verbum a Domino nobis inspiratum.
Et quid dicimus? Hoc inprimis, quia videlicet nos, "qui vivimus" etc. Istud postmodum, "quoniam" videlicet "ipse Dominus" etc. Et hoc est, quia "nos, qui vivimus", in novissimis videlicet diebus, "qui residui sumus", id est superstites "in adventum Domini", id est in tempore illo, in quo Domi-

---

[791] Ambrosiaster, *In ep. ad Rom.*, c. 1 (PL 17,52)

nus ad iudicium veniet. "Non preveniemus", id est in resurrectione illa non precellemus "eos, qui dormierunt", id est qui mortui sunt ante. Videretur enim, quod illa, qui tunc repperientur, quorum corpora tunc integra erunt, facilius et citius resurgerent quam illi, quorum iam corpora ex toto in cinerem dissoluta sunt. Quod ipse removet, quia simul resurgent omnes, nec illi, qui tunc reperientur, precedent eos, qui quantolibet tempore ante mortui sunt. Et hoc est "non preveniemus eos, qui dormierunt". Et ponit se tamquam in numero illorum, qui in tempore illo erunt novissimo.

"Quoniam ipse". Acsi diceret: Dixi, quod isti non previent illos in resurgendo. Et hoc de ipsa resurrectione subiungo, quoniam erit. "Quoniam" videlicet "ipse Dominus in iussu" etc., id est in voce, quam angelus aliquis iussu illius faciet in aere. Hanc autem vocem tubam appellat, quia, sicut tuba duo facit, que videlicet suos alacres reddit, partem vero hostium infirmat et tristem efficit, ita vox illa eos, qui in Christo dormierunt, exhilarabit, Christi vero inimicos omnino contristabit. Tubam autem Dei dicit, quia angelus eam iussu Dei accipiet. Et ita in tuba ista[a] Dominus "descendet de celo". Dominum de celo ad nos descendere non est aliud, ut sepe diximus, nisi eum in terra aliquod inusitatum operari.[168*] Vel descendet de celo, quia localiter etiam Christus de illa eminentia celorum usque ad nos veniet, cui obviam in aera occurremus. "Et mortui". Descendet, dico, et tunc illi, "qui in Christo mortui sunt, resurgent primi", id est prius quam nos Christo in aera obviam occurramus. Vel primi, quia eorum resurrectio, qui in Christo moriuntur, erit prima, id est optima. Mali enim ad mortem resurgent, qui nec etiam resurgere dicuntur, cum de magnis cruciatibus transeant ad maiores, quando videlicet dupplici contritione conteret eos Deus.

---

[a] ista] *inter lineas*

[168*] Cf. Abaelard., *Theologia lib.* 3 c. 6 (PL 178,1105D); *Sent. Herm.*, c. 19 (PL 178,1723); *Sent. Flor.*, 10.—Cf. Augustin., *De civitate Dei lib.* 16 c. 5 (PL 41,483)

"Deinde". Acsi diceret: Illi ita resurgent primi. Et "deinde", id est post resurrectionem illorum, nos, qui tunc erimus, qui videlicet in illis diebus novissimis inveniemur "simul cum illis" etc. Ab apostolo autem hoc loco non habemus, quod illi, qui tunc reperientur, moriantur, sed sancti dicunt, quod morientur ante raptum istum. Et ita postmodum et ipsi et alii simul resurgent et deinde simul rapientur.

Quod dicit: *rapiemur,* per raptum intelligit velocitatem et levitatem humani corporis, quia post resurrectionem corpora sanctorum ita levia erunt, quod ubicumque voluerint esse supra illam etiam[a] eminentiam celorum, sine omni difficultate facile se poterunt transferre. Item, *in nubibus* dicit, quia, quemadmodum Dominus in ascensu suo nubem ascendit,[792] ita et illi nubem ascendent unusquisque suam, ad illam etiam corporum levitatem designandam, que ita tunc levia erunt, quod nube poterunt sustentari. Et hoc totum ad gloriam Dei, qui de tam ponderosis corporibus tam levia faciet. "Et sic". Non dico: In nubibus, non dico: In aere existentes, sed "sic", id est in illa levitate corporum existentes,[b] "erimus", id est manebimus, "cum Domino semper", id est sine fine. Nos enim non dicimus, quod locus aliquis vel in aere vel alibi vite illi eterne deputetur, ut videlicet loci dignitas vel loci indignitas conferat vel augeat sive auferat vel etiam minuat beatitudinem. Quippe fideles, ubicumque erunt sive in terra sive in celo sive etiam supra celos, eque erunt beati, cum eque ubique divina fruentur visione. Et quod fideles in celis dicuntur esse, non est aliud, nisi in vita illa eminenti, cuius eminentiam sancti voluerunt per celum significari, quia celum inter creaturas eminentior est. Item inferi non ideo dicuntur, quod aliquis locus inferior sit deputatus, ubi mali crucientur, quia ista inferioritas non intelligitur nisi in penis. Unde inferi in greco nichil aliud, nisi

[a] etiam] *inter lineas* [b] in—existentes] *scriptum supra deletum* resuscitati sive rapti

[792] Act. 1,9

quod nichil suave habeant, sonare perhibentur. Diabolus enim ubicumque est, sive infra celos sive supra celos, semper eque miser est et suam semper penam defert secum, quia illam semper summam repperit potestatem, que eum punit, quam ipse effugere non potest, quoniam, ut dicit psalmista, quo ibo et quo a facie tua fugiam. Si ascendero in celum, tu illic es. Si descendero ad infernum, ades.[793] Quippe Deus diabolum ipsum et membra ipsius, ubicumque sunt, eque punit singula illis ad penam convertens ęlementa, que tamen ita sua mirabili temperat potentia, ut secundum hoc, quod iustum est eum punire singulos, ita singulis inde penam conferat, cum tamen sepe in eodem loco existant bonis etiam intermixti. Loci enim dignitas sive indignitas sicut nec beatitudinem auget vel minuit, ita nec penam. Et tanto Deus apparet mirabilior, ut in epistola ad Ephesios meminimus, quanto mirabiliori modo in eodem loco hos punit, illos beat. Diabolus tamen, quamvis cotidie puniatur, modo liberior est quam in futuro erit, cum modo malam voluntatem, quam habet, ad quoddam sui consolatium quandoque expleat, tunc vero ita constrictus erit, ut, quod voluerit, nullo modo explere possit, ut tanto amplius crucietur, quanto minus poterit, quod volet, efficere. Si autem loci dignitas vel indignitas, ut in supra memorata epistola diximus, quicquam beatitudinis conferret vel minueret, quomodo poterimus dicere, quod angelus, quem scimus ad virginem missum esse, ęque beatus fuerit, si locus aliquis beatitudini ascribatur, si videlicet in eo loco, a quo veniebat, fuerit beatior, quam in eo, ad quem veniebat; quod non convenit. Eum quippe constat semper eque beatum fuisse, cum eque Deum semper viderit, quia, ut dicit veritas, angeli semper vident faciem Patris mei, qui in celis est.[794] Ex cuius visione semper eque sunt beati ubicumque missi, etiamsi per illa loca, que immunda dicimus, transirent, ubi stercora iacent, que tamen sunt substantie a Deo create eque munde post esum quam ante, per que, si qua fidelis transiret anima, eque beata

[793] Psalm. 138,7 sq. [794] Matth. 18,10

et eque munda permaneret ad modum solis, qui loca illa irradians sicut mundus ingreditur, ita et eque egreditur.

De Christo queritur, an in futuro ab omnibus videbitur.

Ita, inquit, non solum a bonis, sed et a malis ad maiorem eorum cruciatum. Et in illa vita Christus modo cum hoc suo fideli erit, modo cum illo, et ita singulorum voluntates preparabit, ut, quamdiu cum isto erit, omnibus placeat, cum vero recesserit, ita etiam sit in voluntate illius, a quo recedet.

"Itaque consolamini". Quia videlicet mortui resurgent, "igitur consolamini", id est consolationem habetote, de dormientibus vestris "in verbis istis", id est per verba ista, que de resurrectione diximus.

[Cap. 5]

"De temporibus autem". De resurrectione illis revelavit, que quando ventura sit, dicit, quia non indigent, ut eis scribat.

Continuatio: De ipsa resurrectione indiguistis, ut scriberemus vobis. Sed "de temporibus", id est quo tempore veniet vel etiam quo momento, "non indigetis" etc. "Ipsi enim". Vere non indigetis, quia "vos ipsi scitis diligenter", id est de diligenti doctrina Domini, quantum oportet ad presens, ut sciatis, quia videlicet "dies Domini sicut fur" etc., id est sicut fur subitus in nocte venit et improvisus hominibus nescientibus, ita et dies ille multos inveniens impreparatos.

"Cum enim". Vere ita veniet, quia, "cum dixerint" homines: "pax et securitas", id est pacem habebimus et secure vivemus, edamus et bibamus, "tunc repentinus", id est subitus "superveniet eis interitus", id est mors, hoc est dampnatio eo modo, quo dolor subitus et inconsideratus parituram aggreditur. Superveniet, dico, "et" ipsi "non effugient", manus videlicet Domini, in cuius manus horrendum est incidere.

"Vos autem". Acsi diceret: Illos, qui in tenebris sunt, sicut fur, ita apprehendet dies ille, sed ne timeatis, quia "vos non estis in tenebris", id est de numero tenebrarum, hoc est eorum, qui tenebris deputati sunt, "ut" videlicet "vos dies" etc., id est impreparatos inveniat. "Omnes enim". Vere non estis, quia vos "omnes filii lucis estis", id est Christi, qui est || lux vera, que illuminat omnem hominem venien- 151r
tem in hunc mundum.[795] "Et filii diei", idem est. Et ita "non sumus" filii videlicet "noctis", id est diaboli, "neque tenebrarum", id est menbrorum, que cum suo capite deputantur tenebris.

"Igitur". Quia videlicet non sumus filii noctis, sed lucis,

[795] Joh. 1,9

"igitur non dormiamus", id est non simus in torpore mentis, "sicut ceteri", qui videlicet Deum[a] ignorant, "sed vigilemus", id est vigiles simus, quod exponit "et sobrii simus", id est cum mensura faciamus, quicquid facimus eo modo, quo oportet.

"Qui enim". Bene dixi: Non dormiamus, quia illi, "qui dormiunt", id est, qui torpidi sunt, "dormiunt nocte", id est per peccata sua, in quibus delectantur, que delectatio eos excecat, vel nocte, id est suggestione diaboli, cuius filii sunt, per quem sunt excecati, vel nocte, id est ignorantia. Quod exponit dicens: "et qui ebrii sunt", id est, qui sine bria sunt, id est sine mensura nolentes attendere, quid quo modo faciant, "nocte ebrii sunt", id est culpis suis, diabolo, ignorantia.

"Nos autem". Illi nocte dormiunt, nocte ebrii sunt, qui videlicet sunt filii noctis. Sed "nos", qui videlicet "sumus diei" filii, "sobrii simus", id est cum bria, ut eo modo, quo convenit, singula faciamus, nichil subito, nichil inconsiderate agentes, providi in omnibus hoc pacto, "induti" videlicet "loricam fidei et caritatis", id est fidem et caritatem tamquam loricam, que nos undique tegant; et "galeam spem salutis". Sicut enim galea caput, ita spes mentem nostram, que caput est interioris hominis, velat. "Quoniam non". Acsi diceret: Spem, dico, istam, quoniam videlicet "Deus non posuit in iram", id est in dampnationem, "sed in adquisitionem salutis", id est in salutem adquisitam, "per Dominum nostrum Jhesum Christum". Et quomodo adquisitam? Per passionem videlicet et mortem ipsius. Et hoc est "qui mortuus" est "pro nobis", et ad hoc mortuus, "ut" videlicet "sive vigilemus", id est sive superstites simus in diebus novissimis, "sive dormiamus", id est ante moriamur, "simul cum illo vivamus", id est vitam illam habeamus.

"Propter quod", id est propter quam spem, "consolamini", id est consolationem habetote invicem, "et edificate", id est instruite, "alterutrum", id est alter alterum. "Sicut et fa-

---

[a] Deum] *in margine*

citis". Quasi dicat: Non dico, quod non faciatis, sed ita obsecro, "sicut et" vos "facitis", ut videlicet in edificatione vestra cotidie crescatis.

"Rogamus". Finiturus epistolam rogat, ut prelatores suos pre ceteris diligant, qui eos spiritaliter instruunt, et eis in aliquo non sint inobedientes. Et hoc est "rogamus vos", scilicet, "ut noveritis", id est noscatis, hoc est diligatis, iuxta illud: Nescio vos;[796] item: Novit Dominus, qui sunt eius.[797] Et merito, quia "laborant inter vos", de vestra videlicet salute. "Et presunt vobis", id est vestri sunt prelatores, et hoc "in Domino, et monent vos", ad ea videlicet, que ad Deum ducunt. Et ideo rogamus, "ut illos habeatis" etc., id est, ut eos etiam amplius diligatis. Et hoc "propter opus illorum", quia videlicet operantur vestram salutem in vobis. Et "pacem habete cum eis", id est parati estote in singulis servare illis obedientiam, ne per contumatiam aliquam, quam faciatis, illis, resistentes culpam generetis, ubi prius culpa non fuerit.

"Rogamus". Item rogat eos, ut non sint tepidi in correctione aliorum, sed castigent omnem fratrem, qui eo modo ambulat, quo non convenit. Et hoc est: "Rogamus vos, corripite inquietos", id est corrigite illos, qui alios inquietant et pravo exemplo suo volunt corrumpere. Maxime illos inquietos appellat, qui per domos aliorum discurrentes illos inquietabant nolentes operari, volentes de labore aliorum sustentari. De quibus paulo ante dictum est. Et "consolamini pusillanimes", id est eos, qui de salute sua desperant, confortamini. "Suscipite infirmos". Inbecilles in fide infirmos vocat, qui perfecte non credebant existimantes se non omnia posse manducare. De quibus in epistola ad Romanos dixit.[798] Hos ergo rogat, ut non abiciant, sed suscipiant, ne cum illis de fide sua disputent, sed permittant unumquemque in suo sensu habundare, quia et isti in sua simplicitate salvabuntur. "Patientes estote" non solum invicem, sed "ad omnes", ad eos etiam, qui foris sunt, ut et ipsi videntes con-

---

[796] Matth. 25,12 [797] 2 Tim. 2,19 [798] Cf. Rom. 14,15 sqq.

versationem vestram bonam glorificent Patrem vestrum, qui in celis est,[799] qui talem habet familiam.

Item "videte", id est providete, "ne quis" etc. Unde supra: Nemini dantes ullam offensionem.[800] Et alibi: Non reddentes malum pro malo,[801] sed semper vicentes in bono malum.[802] Ille autem reddit, qui propter se hoc facit. At vero, si quis vindictam sumit, ita sumat, ut Deus potius in se vindicet quam ipse, ut in epistola ad Romanos meminimus.[803] Et hoc est non reddere malum pro malo, quando videlicet non propter se quis facit, quia, si retribuero retribuentibus michi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.[804]

"Sed semper". Videte, inquam, ne quis vestrum hoc faciat, sed potius "semper sectamini", id est studiose sequimini id, "quod bonum est invicem et ad omnes", id est quod spectat non solum ad edificationem vestram, sed et aliorum, ut eos vobiscum trahatis ad Deum. Et in omnibus tribulationibus vestris "semper gaudete in Domino", id est omne gaudium vestrum[a] in Deo ponite, in quem et speratis, qui post istas pressuras dabit vobis coronam.

Item "orate sine intermissione". Ille orat sine intermissione, qui nullum tempus ad orandum institutum intermittit. Tempora enim ad orandum distincta sunt, in quibus unicuique orare preceptum est. De quo dicitur: Septies in die laudem dixi tibi[805] Et ad hec tempora distinguenda cimbala etiam pulsantur, que moneant, ut tunc, quod debemus, reddamus. In quibus horis, si quis orat, omnibus sine intermissione orat. Ad hunc autem modum dicitur: Veniet Dominus et non tardabit.[806] Quamvis enim statim non venerit Dominus, sed ante per multos annos id dictum fuerit, non tamen tardasse dicitur, cum videlicet in tempore statuto et a Patre definito venerit Filius.

"In omnibus". Quasi dicat: Dixi hoc, et illud facite. Et

[a] vestrum] *inter lineas*

[799] Cf. 1 Petr. 2,12; Matth. 5,16 [800] 2 Cor. 6,3 [801] Rom. 12,17 [802] Rom. 12,21 [803] Cf. *supra* Pars I, 186 [804] Psalm. 7,5 [805] Psalm. 118,164 [806] Habac. 2,3; Hebr. 10,37

"in omnibus", id est de omnibus, "gratias agite", id est glorificate Deum, ut, quecumque feceritis, propter Deum faciatis, quem finem omnium constituatis.

"Hec enim". Acsi diceret: Et hec, que dicta sunt, debetis facere, quia "voluntas Dei est", id est Deo placet, ut ista faciatis, et hoc "in Christo Jhesu", id est per hunc nostrum mediatorem, per quem nos ei placemus.

Item dico: "nolite extinguere Spiritum", id est divinam lectionem, ubi Spiritus edificatur. Ille autem extinguit, qui frequentare legendo negligit. Unde et vos frequentate, quia, ut dicit Jeronimus,[807] semper in manibus tuis divina sit lectio et ita crebre orationes, ut omnes cogitationum sagitte, quibus adholescentia percuti solet, huiuscemodi clipeo repellantur.

"Prophetias". Quia apostolus iste precipue astruxerat legem non esse tenendam, ne illi legis etiam lectionem omnino contempnerent, rogat, ut et eam frequentent, quia et ibi possunt proficere. Et hoc est "prophetias", id est legem, que prophetiis referta est, "nolite spernere", id est contempnere, imo "omnia", id est utriusque testamenti paginam, "probate", crebris videlicet lectionibus. Et quia non, quicquid in lege dicitur, ad mores spectat, supponit: "et quod bonum", id est, quod ad edificationem pertinet, "tenete", id est retinete. Et vos non solum dico a malo, sed etiam "ab omni specie mali abstinete", id est ab omni eo, quod geret similitudinem mali, ubi frater offenderetur, etiamsi bonum esset, cum fratri scandalum faceret. Tale quid tamen potest esse, quod propter fratrem non dimitterem. Veluti, si, quia credo in Deum, offenditur frater, non dimittam.

"Ipse autem". Quasi dicat: Horum, que dixi, memores estote, et "ipse Deus pacis", qui videlicet iam vos sibi reconciliavit, "sanctificet vos per omnia", id est sanctos faciat ita videlicet, "ut integer" etc. Spiritus integer est, id est ratio, quando videlicet non errat in sentiendo de aliquo, de quo non ita sentiendum est. Anima vero integra est, id est carna-

---

[807] *Epistola* 125 n. 11 (PL 22,1078)

litas, quando ex toto rationi subiecta est. Corpus autem integrum est, quando ita cibis et potibus teperatur, quod caro in lasciviam non prorumpit. Et hoc est "ut integer" etc., id est hec tria, ratio videlicet, carnalitas ipsa, iumentum nostrum, serventur integra, et ita maneatis "sine querela", ut nemo videlicet de vobis possit conqueri. Et hoc "in adventu", id est, ut adventum istum secure expectetis, ubi, quid singuli fecerint, manifestum erit.

Et vos ad istam perfectionem et integritatem ne diffidatis venire, "quia fidelis est Dominus, qui vos vocavit" ad fidem, "qui etiam faciet", id est consummabit suam vocationem in vobis.

"Fratres". Vult epistolam finire, sed prius suo more rogat, ut pro se orent et se invicem salutent et osculentur. Ipse enim singulos osculari solebat, cum ad eos veniret. Et ideo in epistolis sepe eos, quibus scribit, invitat ad osculum[a] rogans, ut se alterutrum ita osculentur sicuti eum ipsum, si veniret, facerent. Et hoc est "fratres omnes" etc.

"Adiuro". Cum sacramento rogat, ut epistola ista singulis fratribus exponatur. Et hoc est "adiuro per Dominum" etc., id est sicuti vultis quod Dominus proficiat vobis, ita hoc facite.

Et "gratia Domini nostri", id est aliquod donum det vobis Deus per Dominum nostrum Jhesum Christum, quod vos confirmet in eo, quod accepistis. Amen.

---

[a] eos—osculum] *inter lineas*

[In secundam epistolam ad Thessalonicenses.]

[Cap. 1]

"Paulus"[a] etc. Aliam eisdem scribit epistolam. Illi enim[b] occasione premisse epistole, in qua dictum est, quia dies Domini sicut fur in nocte ita[c] veniet, timebant, ne dies ille eos impreparatos inveniret. Scribit ergo illis, ut post ablatum errorem de resurrectione auferat etiam eis et timorem, qui illis incussus est de die illo ex predicto capitulo. Et hoc est "Paulus" etc. Illos secum iterum connumerat, quos supra predicta de causa.

"Ecclesie Thessalonicensium" mandant, subaudis. Ęcclesie, dico fundate "in Deo" etc.

"Gratia vobis" etc. Ut supra.

Queritur, quare istum voluerit timorem removere, cum timor sepe multum utilis sit, etiam iste, quia quanto plus timerent, tanto amplius ad diem illum se pararent.

Ad quod dicit philosophus,[169*] quoniam nos debemus esse filii, non servi, ut ex amore potius, quicquid facimus, faciamus, quam ex timore. Timor tamen utilis est, quia, ut dicit psalmista, initium sapientie timor Domini.[808] Sed nos in timore consumari non debemus, imo in amore, qui hominem perficit. Et timor immoderatus, quem fortasse illi habebant de die illo, multum obest hominem ex toto a se alienans, veluti cum aliquis in mari est, videns illas procellas maris extra se ponitur ex timore immoderato, quem tantum habet, || quod nec etiam de Deo ei quicquam cogitare licet. 151v

[a] Paulus] aulus [b] Illi enim] *inter lineas* [c] ita] *inter lineas*

[808] Psalm. 110,10

[169*] Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom., lib.* 3 c. 8 (PL 178,902A)

"Gratias agere". A laude illorum incipit, sicut et in priori fecit epistola dicens grates Deo[a] reddendas esse ex fide et dilectione eorum, que cotidie supercrescunt in illis. Et hoc est "gratias debemus agere Deo semper pro vobis, fratres", hoc est Deum laudare et glorificare, et hoc "ita, ut dignum", id est eo modo, quo dignum est. Et hoc inde, "quoniam" videlicet "fides vestra" etc. Et hoc "ita, ut nos ipsi gloriemur in vobis", id est de vobis, "in ecclesiis Dei" dicentes, ut et vos imitentur, quia vos aliis in exemplum proponimus. Et hoc "pro patientia", id est, quia vos ita patientes estis et tam in fide constantes, "in omnibus persecutionibus vestris", id est tribulationibus de loco ad locum, et in aliis etiam "tribulationibus", id est pressuris, "quas sustinetis", id est toleratis "in exemplum", id est in manifestationem, "iusti iudicii Dei", in eos videlicet, qui vos opprimunt. Ex vestra enim vita apparet, quam dampnabiles sint illi, qui persequuntur vos.

Sustinetis, dico, et hoc hac spe, "ut" videlicet "digni habeamini in regno Dei, pro quo" videlicet regno habenda "et patimini". Spes enim, ut sepe iam meminimus,[809] est tamquam anchora nostra,[810] ne in istis pressuris deficiamus, que tam magnum nobis pollicetur premium.

"Si tamen". Una pars est, quasi dicat: Et bene dixi in exemplum iusti iudicii Dei, "si tamen", id est quia, "iustum est" etc. "Nobiscum" scilicet apostolis. Et hoc "in revelatione", id est in iudicio illo extremo, ubi quidam revelabunt et quidam revelabuntur, ut supra meminimus,[811] cum videlicet Christus apparuerit veniens "de celo". Venire Dominum de celo non est nisi ipsum aliquod, ut supra meminimus, novum in terra facere.[170*] Et hoc est "cum angelis virtutis eius", id est cum maioribus etiam angelis, per quos virtus eius maior apparebit. Et hoc "in flamma ignis".

---

[a] Deo] *add. et del.* grates

---

[809] Cf. *supra* Pars I, 111 [810] Hebr. 6,19 [811] Cf. notam 648

[170*] Cf. Abaelard., *Theologia, lib.* 3 c. 6 (PL 178,1105D); *Sent. Herm.*, c. 19 (PL 178,1723); *Sent. Flor.*, 10

Inter omnia ęlementa ignis est acutius et quod minus in partibus sectionem recipit omnia alia penetrans. Non est enim corpus aliquod tam solidum, cuius partes quamcumque insertas non penetret ignis acumen. Et ideo Dominus in flamma ignis venturus dicitur ad destrictionem illius iudicii significandam, cuius iudicem nemo poterit effugere, quem omnia penetrantem nichil latere, nichil resistere potest.

Domini, dico, "dantis vindictam", id est penam inferentis, his videlicet, "qui non noverunt", id est dilexerunt, "Deum". Quod exponit "et qui non obediunt" etc. Et bene dicit: Non obediunt, quia tunc iam inobedientes erunt volentes adhuc in seculo esse, ut suam malitiam possent exercere. Quibus non displicebit iniquitas, sed pena. Unde Jeronimus:[812] Non, inquit, dictum est: qui operati sunt, sed: qui operantur iniquitatem, quia tunc in cordibus eorum erit iniquitas, qui ita Deum habebunt odio, quod etiam eum non esse volent, "quoniam" omnes "dabunt", id est solvent, accipient "penas eternas in interitu", id est in dampnatione. Et hoc "a facie Domini", id est ab illa revelatione Domini, "et a gloria virtutis eius". Quasi dicat: Que revelatio in magna erit virtute ad gloriam Dei. Tunc videlicet, cum ipse "venerit glorificari in sanctis", id est ut gloriosus appareat in sanctis suis, "et admirabilis fieri". Deus autem tunc erit in sanctis mirabilis, quia ipsi tunc de tanto mirabantur premio, quod longe supra hoc, quod quisquam in hac vita credere potuerit, dabitur singulis. Et tunc erunt in cordibus eorum murmurationes ille, de quibus supra meminimus. Veluti: quando nudum, quando esurientem te vidimus, quando in carcere administravimus tibi?[813]

Ammirabilis, dico "in omnibus", tam iudeis quam gentibus,[a] "qui crediderunt", cum videlicet multo plus recipient quam crediderint. "Quia creditum est". Quasi dicat: Et quia in omnibus, ita et in vobis, gentes, que iam credidistis, quia

[a] tam—gentibus] *inter lineas*

[812] Pseudo-Hieronymus, *Breviarium in psalmos*, Psalm. 5, n. 7 (PL 26,879). [813] Matth. 25,44

videlicet "testimonium nostrum creditum", id est predicatio nostra credita est super vos, id est quia vos credidistis et assensistis predicationi nostre "in die illo", id est de die illo, in quo unusquisque, quod meruit, recipiet.

"In quo" videlicet die, ut "Dominus noster dignetur vocatione", id est statuat vos hic dignos factos in partem sanctorum, ad quam vos vocavit. Nos "oramus", id est orationes facimus "etiam semper", id est sine intermissione, omni videlicet hora, qua debemus orare. Et hoc "pro vobis". Dignetur, dico, et ita "impleat", id est consumet per remunerationem "omnem voluntatem bonitatis", id est omnem vestram voluntatem bonam. Tunc enim bona voluntas consummata est, quando eum finem, id est Deum, ad quem applicata fuit, adipiscitur, id est in se habet per fruitionem. Quod exponit dicens: "et opus fidei in virtute", id est caritatem, quam opus fidei appellat, quia ex fide procedit. Et quia spes etiam procedit ex fide, que virtus non est, subnectit: "in virtute", acsi diceret: Illud, quod ex fide procedit et virtus est, id est caritatem. Aliud enim eternaliter a Deo non remuneratur preter voluntatem bonam, que caritas est. Et hoc totum ad gloriam Dei. Et hoc est "ut clarificetur", id est glorificetur, "nomen" etc. "in vobis", id est per vos, "et vos" sitis "in illo" tamquam membra in capite. Et hoc "secundum gratiam" etc.

[Cap. 2]

"Rogamus autem". Modo ad illud, propter quod hanc scripsit epistolam, venit rogans eos, ut sibi caveant, ne quis illos decipiat et exterreat, tamquam prope sit dies ille, quem dicit non prius venturum esse, nisi primum discessio venerit. Hanc autem discessionem regnorum esse a Romano intelligit imperio, quod in tempore apostoli adhuc integrum erat, a quo postmodum paulatim discesserunt regna. Discessio etiam ista intelligitur de illa ęcclesiastica potestate Romana, a qua propter nequitiam et avaritiam Romanorum pedetentim discedent omnes ad modum Grecorum, qui iam discesserunt propter immoderatam cupiditatem Romani Pontificis, apud quem non impetrat nisi minimus. Et ita post istam discessionem antichristus, ut dicit apostolus, veniet, qui tunc tempus veniendi habebit, ut eos, quos divisus reperiet, sibi alliciat et se quasi unum caput omnium statuat, in cuius tempore talis erit ęcclesie persecutio, ut dicunt sancti, qualis non fuit ab initio. Primum enim persecutio ęcclesie aperta fuit a Romanis principibus facta, qui manifeste ęcclesiam gladio persecuti sunt. Deinde fuit hereticorum persecutio, que fuit occulta, qui et hodie persecuntur ex toto in verbis nitentes. Ille vero iniquus utroque modo persequitur, qui et magne potentie erit et scientie. Huius autem membrum precipuum significat nobis apostolus Neronem fuisse, qui primus in imperatoribus Romanis communi edicto ęcclesiam invasit, cuius et ipse figura fuit. Sicut enim antichristus interfecturus est illos amicos Dei duos, Enoch videlicet et Heliam, ita et Nero illa duo luminaria, Petrum videlicet et Paulum, interfecit. Et hoc est "Rogamus", quasi dicat: Dixi, oramus, ut dignetur vos vocatione sua Deus in die illo, cum videlicet venerit, iudicare.

Et ideo "rogamus vos, fratres", per illum "adventum Domini nostri Jhesu Christi". Sacramentum est, acsi diceret:

Sed cum vos vultis, quod adventus ille proficiat vobis[a] et de nostra sitis per ipsum congregatione, cum ei in die illo occurremus, vos rogamus, "ut" ita "non moveamini a sensu vestro", id est non avellamini a vestra scientia bona, qui adhuc bene sentitis, et hoc "neque per spiritum", videlicet malum, id est diabolum, qui appareat vobis in aliqua specie ad decipiendum vos, et hoc "neque per sermonem", quem ipse dicat vobis vel aliquod membrum ipsius per ipsum, "neque" iterum "per epistolam tanquam per nos missam". Timebat enim apostolus calliditatem diaboli, ne sub nomine suo mitteretur eis epistola ad seducendum eos.

Et hoc totum dico, ut videlicet "ne quis", id est ne aliquis, "seducat", id est decipiat vos, "quasi instet dies Domini", id est prope sit. Qui utique nundum instat, quoniam non veniet dies ille, "nisi venerit discessio primum". Ecce quam occulte discessionem Romani imperii notat, ne principes commoti in ęcclesiam Dei insurgerent. Et iterum, "nisi revelatus fuerit", qui post discessionem revelabitur, "homo peccati", id est antichristus, "filius perditionis", quia et se et alios perdet.

"Diabolus". Illum hominem nequissimum diabolum vocat, quoniam in nullius hominis anima tantam habebit potestatem diabolus, quantam in anima illius, qui tamquam ex toto diabolus erit. Et hoc est "qui adversatur", id est, qui adversum se faciet, id est contrarium Deo videlicet et membris eius. "Et extollitur", id est extollet se, "supra omne, quod dicitur Deus aut colitur", id est super omnem potestatem, que etiam maioris nominis erit. Et hoc "ita, ut" videlicet "in templo Dei", id est in ęcclesia Dei, "sedeat ostendens" etc.

"Non retinetis", quasi dicat: Hoc modo dico vobis de adventu illius, et vos "nonne retinetis", id est nondum in memoria habetis, quia videlicet "hoc" idem "dicebam vobis, cum adhuc" etc. Quasi dicat: Credo, quod retinetis, quia et vos "nunc", sicut prius "scitis, quid detineat" adventum

---

[a] vobis] *inter lineas*

illius iniqui. Hoc videlicet, "ut reveletur", id est manifestetur in se ipso, "in suo tempore", id est in tempore statuto ad revelationem illius, quod nondum venit.

"Nam misterium". Et bene dixi, ut reveletur, quia "misterium iniquitatis", id est Romana potestas, que figurat iniquum illum, "iam operatur" et non ille iniquus, cuius figura est. Hoc dicit propter Neronem, qui istum nequam misticabat, quem occulte notat, ne commotus christianos infestaret. Quod tamen postmodum fecit, quia, ut diximus, primus de Romanis principibus communi edicto ęcclesiam persecutus est.

Et "tantum", dico, operatur, ut, "qui nunc tenet", id est illa potestas Romana, que nunc tenet, "teneat" istum principatum, "donec" ipsa "fiat de", id est tollatur de medio, non tamen quod omnino pereat, sed ut media non sit, id est communis, sicut hodie est, cum universo mundo adhuc dominetur.[a]

Super hunc locum dicit beatus Augustinus,[814] quod, qui poterit, dicat. Ipse quidem se nundum intelligere astruit, quid apostolus dicere voluerit.

"Et tunc", id est deinde, postquam videlicet tolletur de medio, "revelabitur" etc. "spiritu oris sui", id est verbo suo, quasi dicat: Facile, quamvis et talem et talem se fecerit. "Et destruet illustratione", id est in revelatione adventus sui. "Eum" videlicet destruet, "cuius est adventus" etc. "in omni virtute", quod exponit "signis et prodigiis", id est prodigiosis signis, sed tamen "mendacibus". Signa enim illa mentientur, quia non erit ita in re sicut ipsa monstrabunt. Veluti de Nicholao illo dicitur, a quo gentes dicuntur subverse esse, qui, cum duos fratres secum haberet modis[b] omnibus similes, alterum fecit interfici et, ut populum ad suam doctrinam magis alliceret, sublato mortuo vivum loco illius supposuit. Et ita dictum est, quod mortuum resuscitaverit.

---

[a] non tamen—dominetur] *in margine* [b] modis] *inter lineas*

---

[814] *Locus non inventus*

"Et in omni seductione iniquitatis", id est in omni maneria inique seductionis. Et hoc "his, qui pereunt", id est dampnantur cum illo nequissimo. "Eo" videlicet, "quod non receperunt caritatem", id est dilectionem, "caritatem", id est
152r Christi, qui veritas est. || Ad hoc videlicet, "ut salvi fierent", id est salvarentur. Et "ideo", quia veritati non adquieverunt, "mittet illis Deus operationem erroris", id est illum nequam, qui per opera perversa ducet eos in errorem. Et ad hoc mittet, "ut credant mendacio", id est illi mendaci. Et ita "iudicentur omnes". Et merito, quia "non crediderunt veritati", id est Christo, "sed consenserunt", id est adquieverunt "iniquitati", id est illi iniquo.

Et nota, quod, quemadmodum iste iniquus ad augmentum iniquitatis iniquis erit, qui tamen essent perdendi, ita et bonis ad augmentum boni, quorum erit quasi fornax et in quo purgabuntur tanquam aurum in fornace.[815] Et nichil aliud posset Deus facere, per quod tam bonos suos efficeret, quam per istum nequam, qui quanto plus eos triturabit, tanto meliores reddet.

"Nos autem". Dixi, quia Deus mittet illis operatorem erroris, ut ita iudicentur omnes, qui veritati non crediderunt, sed iniquitati consenserunt. Vos autem, fratres, ne timeatis, qui de numero illorum non estis, qui iam credidistis, qui iam a eo electi estis. Et ideo "nos debemus gratias agere Deo", id est laudare et glorificare Deum semper et hoc "pro vobis", O vos fratres "dilecti a Deo", id est de quibus Deus bene disposuit. Debemus, dico, "pro vobis", et ideo, quod videlicet "vos elegerit primitias in salutem". Eos primitias appellat, quia de primis christianis erant, vel quia primi, id est maximi inter illos. Et quomodo in salutem? Dico "in sanctificatione spiritus", id est per Spiritum suum sanctificantem, hoc est per amorem et "fidem veritatis", id est per fidem Christi.

"In quam", scilicet fidem, "et vocavit vos per ewangelium nostrum", id est per predicationem nostram. Et hoc "in

---

[815] Prov. 27,2; Sap. 3,6

adquisitionem glorie Domini nostri", id est in gloriam adquisitam vobis per Dominum nostrum Jhesum Christum.

"Itaque". Quia videlicet vocati estis a Deo in fidem Christi per nos, igitur "state", id est stabiles estote et immobiles in fide ista. Et, ut stetis, "tenete traditiones", id est firmiter custodite doctrinam traditam, quam a nobis accepistis sive "per sermonem sive per epistolam". Sermo ab epistola in eo differt, quod sermones presentibus fiunt, epistole absentibus scribuntur.

"Ipse autem". Dico state et tenete. Et ad hoc rogamus, ut videlicet "ipse Dominus noster Jhesus Christus et Deus Pater noster, qui dilexit nos" ab ęterno "et" iam "dedit consolationem" etc., id est spem de bono promisso ęterno, per quam in quantiscumque pressuris semper suos consolatur et hoc non meritis nostris, sed "in gratia", id est per gratiam suam. "Exortetur corda vestra", id est semper ad meliora promoveat, "et confirmet", id est firmos et constantes faciat non solum "in omni opere" bono, sed et "sermone", ut videlicet in opere et in sermone ad edificationem vestram et aliorum sitis perfecti.

[Cap. 3]

"De cetero". More suo rogat eos, ut sint sui memores in orationibus suis. Et hoc est "de cetero", id est insuper vos videlicet rogamus, fratres, "orate pro nobis, ut" videlicet "sermo Domini currat", id est expedite et sine impedimento a nobis predicetur et notificetur aliis sicut et vobis. Et hoc est "et clarificetur ubique" etc., id est omnibus reveletur sicut et vobis. Et iterum rogamus: orate, "ut" videlicet "liberemur" etc., id est ab infidelibus, qui nobis insidiantur. "Non enim". Acsi diceret: Et bene dixi, ut currat et clarificetur ubique, sicut et apud vos, quia nondum omnes crediderunt. Et hoc est, quia "non omnium fides est", id est non adhuc credunt omnes.

"Fidelis autem". Dixi: Ipse Dominus exortetur corda vestra et confirmet et ne timeatis, quoniam revera id faciet, quia "fidelis Dominus" est in omnibus promissis suis, qui videlicet "confirmabit vos et custodiet a malo", ut videlicet semper a malo declinetis adherentes bono.

"Confidimus". Dico: Confirmabit et custodiet et bene, quia nos "confidimus", id est de vobis, fratres, fiduciam habemus, quia "ea, que vobis" etc., id est precepta, que tradidimus vobis. Et ut perseveretis, "Deus dirigat corda vestra", id est directa faciat "in caritate Dei", id est per caritatem Dei, et "patientia Christi", ut videlicet sincere Deum diligatis et patientiam Christi imitemini, pro quo patiamini, si opus est, sicut ipse pro nobis passus est.

"Denuntiamus autem". Illos otiosos, quos in superiori epistola tetigit, hic specialiter notat, qui videlicet per domos aliorum discurrebant et illos iniquietabant. Rogat autem, ut huiusmodi fratrem castigent, qui, si[a] non audierit, subtrahant se a consortio illius. Et hoc est "denuntiamus", id est precipimus vobis, et hoc "in nomine Domini". Iuramen-

---

[a] si] *inter lineas*

tum est, acsi diceret: Sicut vultis, quod nomen, id est notitia Domini nostri Jhesu Christi, fides videlicet, quam de Deo habemus, vobis prosit, rogamus, ut ita "subtrahatis ab omni fratre ambulante inordinate", id est eo modo, quo non convenit. Quod exponit, quasi dicat: Hoc est "non secundum traditionem" etc.

"Ipsi enim". Quasi dicat: Et de doctrina nostra non potest quis vestrum se excusare per ignorantiam, quia vos "ipsi scitis" etc., "quoniam" videlicet "non inquieti" etc., id est neminem vestrum inquietavimus, sicut illi faciunt, quia nec etiam "panem manducavimus gratis" acceptum "ab aliquo", imo "nocte et die operantes in labore et fatigatione", id est usque ad fatigationem, "ne" videlicet aliquem "vestrum gravaremus", id est, ne alicui vestrum honeri essemus. "Non quia". Quasi dicat: Ita fecimus, non tamen, quia "non habuerimus potestatem", sicut et ceteri apostoli habent, sed, "ut nosmetipsos daremus formam", id est exemplum vobis, et hoc "ad imitandum nos", id est ad imitationem nostram.

"Nam et". Et vere ipsi scitis, quomodo oporteat imitari nos, quia etiam, "cum essemus apud vos, denuntiabamus", id est precipiebamus vobis, "hoc" videlicet, "quoniam si quis non vult" etc. "Audivimus enim". Quid ad nos de istis, diceret aliquis. Quia videlicet "audivimus" etc. Et ideo his, "qui huiusmodi sunt, denuntiamus", id est precipimus etc., "ut" videlicet "cum silentio", id est in pace et non inquietando alios "operantes" etc.

Et vos, "fratres, nolite" etc., id est defectum habere in operibus vestris bonis. "Quod si." Illis hoc dixi, ut videlicet cum silentio operantes panem suum manducent. "Quod", id est sed, "si quis non obedit" etc., id est significate michi per litteras. "Et" videte, "ne commisceamini", id est ne unionem et consortium in ęcclesia habeatis cum huiusmodi et ad hoc, "ut" videlicet "confundatur", id est ad confusionem sui veniat et de se erubescat et ita revertatur.

"Et" tamen "nolite" tamquam hostem "existimare" huiusmodi, "sed corripite", id est castigate "ut fratrem".

Et ut omnis inquietudo a vobis removeatur, "ipse Dominus pacis," id est, in cuius manu est,[a] cui vult pacem dare, "det vobis pacem sempiternam", id est perseverantem, "in omni loco", id est ubicumque estis.

"Dominus". Quasi dicat: Non dico hoc, quia non sit vobiscum Dominus, sed ut semper pacem vestram augeat et amplificet, quia revera "Dominus" est "cum omnibus vobis", id est cum maioribus et minoribus. Vel "Dominus". Diceret aliquis: Et quam pacem dabit vobis? Hanc videlicet, ut ipse sit cum omnibus vobis. Et hoc est "Dominus" sit, subaudis, "cum omnibus vobis".

"Salutatio" etc. Hanc salutationem propria manu scribebat ad notam et[b] ad signum, ut epistola sua esset, quam modo in ipsa epistola faciebat, modo extra. Et ideo quandoque in corpore epistole reperitur. Et quia apostolus, ut Haimo[816] dicit, non multum bene scribebat, ideo subnectitur: "Ita scribo", veluti in hac salutatione potestis videre, quam propria manu scripsi.

"Gratia Domini" etc. ut supra.

---

[a] est] *inter lineas* [b] ad notam et] *inter lineas*

---

[816] Cf. Haimo, *Expositio in epp. Pauli.* In ep. 1 ad Cor. c. 16 (PL 117,606); In ep. 2 ad Thess. c. 3 (PL 117, 784)

[In primam epistolam ad Timotheum.]

"Paulus"[a] etc. Post generales epistolas familiares supponit. Heę autem sunt littere private ad personas destinate, quibus superiores epistole, que ad commune commodum et generalem instructionem ęcclesiarum spectant, competenter preposite sunt, cum videlicet singularitas, que in personis est, universalitate totius ęcclesie longe inferior sit nec ei preponderari possit. Et ideo ille universale epistole omnes istas precedunt personales, preter illam, que ad Hebreos scripta ultimum locum habet, quamvis et ipsa generaliter instruat, quam non esse apostoli, imo Luce ewangeliste nonnulli astruebant propter stilum, qui longe diversus esse videtur nec resonare verba precedentium epistolarum. At vero ille omnes superiores, quas generaliter constat scripsisse apostolum, has ad personas preeunt destinatas. Quarum ad Thimotheum discipulum suum, quem ipse in episcopum Ephesianorum constituerat, primam scribit, in qua eius intentionis summa hec est, ut videlicet eum de propria vita ordinanda instituat et qualiter gradus ecclesiasticos, qui in ęcclesia fiunt, ordinet, illum doceat, et quomodo plebes subiectas instruat. De ęcclesiasticis autem gradibus docet veluti de sacerdotio et diaconatu. Hii, quippe duo ordines in primitiva tantum erant ęcclesia. Ceteri vero ordines minores sive ad decorem sive ad necessitatem a sanctis patribus postmodum[b] abjecti sunt. Sed, quod ceteri debeant continentes esse sicuti subdiacones vel exorciste, non ex auctoritate[c] habemus preter diacones sive etiam diaconissas, quos astringit auctoritas apostoli pudicos esse quemadmodum sacerdotes. Unde infra: Diacones autem similiter pudicos oportet.[817]

---

[a] Paulus] aulus [b] postmodum] *inter lineas* [c] auctoritate] *add.* non

---

[817] 1 Tim. 3,8

[Cap. 1]

Incipit ergo premissa salutatione hoc pacto: "Paulus apostolus Christi Jhesu", et hoc "secundum imperium Dei", qui etiam illum nolentem et quasi coactum ad apostolatum traxit, ut, quemadmodum dictum est, portet nomen meum coram gentibus et regibus. Dei, dico, "salvatoris nostri Jesu Christi", cuius Deus specialiter dictus est, quia in eo precipue apparet, in quo homini in unam personam unitus est. Christi, dico, "spei nostre", id est a quo tota spes nostra pendet, extra quem nulla[a] spes relinquitur. Quippe, qui extra Christum est, ab omni spe bona privatus est.

"Thimotheo", mandat, subaudis, "dilecto filio", non in carne, quia, cum virgo fuerit, carnalem filium non habuit, sed "in fide", in qua videlicet eum Deo genuit. Sicut enim filii carnis sunt, ita et filii doctrine. Unde supra: Nam in Christo Jhesu per ewangelium ego vos genui.[818]

"Gratia", id est aliquod donum supra merita. Quod exponit per partes dicens: "et misericordia", id est ad vitam te[b] ordinet ęternam et ducat. "Et pax", ut videlicet in pace predices et tue predicationi, cum sis episcopus, non resistant aliqui.[c]

"Sicut rogavi". Ebraice constructiones, ut sepe diximus, defective sunt. Et ideo hoc loco subauditur primo: ita age, "sicut" videlicet "rogavi". Tale est illud: Si introibunt in requiem meam,[819] vel: Si David mentiar, semen eius in eternum manebit.[820]

152r Et nota, quod dicit: Rogavi, et non || imperavi, cum tamen possit imperio uti, quia eum, quem imperium nolentem etiam trahit, obsecratio volentem ducit et non coactum, tamquam

[a] nulla] nullam [b] te] *supra* vos *deletum* [c] eternam—aliqui] *in margine*

[818] 1 Cor. 4,15 [819] Psalm. 94,11 [820] Psalm. 88,36

si ille, qui imperare posset, ita suo subiecto diceret: Nunc in hac re tuam experiri volo liberalitatem. Et tunc ea bona, que sub obsecratione ponuntur, non solum suscipienti proficiunt, verum etiam facienti, cum videlicet ipse ad hoc volens pertrahatur.

"Ut remaneres". Rogavi, dico, "ut" videlicet "remaneres", id est morareris apud Ephesum. Tunc dico, cum "irem in Macedoniam", et ad hoc remaneres, "ut" videlicet "denuntiares", id est preciperes, "quibusdam, ne" videlicet "aliter", quam oporteat, "docerent", id est predicarent; qui videlicet legem volebant inducere. "Neque" iterum ipsi "intenderent fabulis", id est vaniloquiis, et "genealogiis", id est computationibus de tribu sua. Isti enim lecatores de iudeis conversi semper in ista sua gloriatione fuerunt non solum de lege data, quam apostolus in epistola ad Romanos repressit, verum etiam de tribubus suis, unde se alterutrum preponebant dicentes, quia et de illa et de illa tribu sumus; quare et vobis preferendi sumus. Non enim ab Ysmaele illo nequissimo descendimus nos quemadmodum vos gentes, sed ab Ysaac filio liberae. Mentiebantur etiam Adam duas habuisse uxores, ex quibus per filiorum generationem duas dicebant diversas venisse familias, astruentes se ab Eva, gentiles vero ab illa alia originem traxisse. Et ita fabulis et computationibus de tribu sua, dum eis, que salutis sunt, deberent intendere, intendebant, que potius ad altercationem erant commovendam quam ad edificationem faciendam. Et ideo volebat apostolus, ne vaniloquiis istis et genealogiis non quicquam intenderent, quas interminatas dicit, quia per computationem iam a nullo diffiniri poterat, a quo ipse venerit, cum tanta multitudo tot patrum vel filiorum intercesserit. Et hoc est "interminatis", id est indefinitis, que videlicet iam ab aliquo diffiniri non possunt.

"Que", scilicet fabule sive genealogie, "prestant questiones", id est movent litigia, "magis", elective, quasi dicat: Ita questiones, quod non edificationem "Dei", id est quam Deus approbat, "que" videlicet "in fide est", id est ad fidem spectat.

"Finis enim". Illi, dico, intendunt talibus[a] de fine non curantes, ad quam tendere debent, id est caritatem, que hominem consumat, semper in exterioribus occupati, ubi finis non est, quia "finis precepti", id est consummatio divine preceptionis, "caritas" est, quia legis plenitudo est dilectio, ubi hominis est perfectio. Cum enim a timore incipiamus, quia initium sapientie timor Domini,[821] in amore semper debemus consummari. Unde Dominus primum debit testamentum timoris, ubi ęcclesia initium habuit, deinde testamentum amoris, ubi consumata est. Legem enim prius dedit, ut saltem timore penarum nequitiam illius populi reprimeret dicens: Dentem pro dente, oculum pro oculo, animam pro anima.[822] Et ita repressa est illorum iniquitas per legem ab operatione perversa, quia lex eos cohercebat timore pene, quam homini timere naturale est, et, ubi timor, ibi caritas esse non potest, quia perfecta caritas timorem foras emittit.[823] Quam legem ipsi etiam voto suo astricti susceperunt, quia, cum viderent circa montem tonitrua et fulgura, timore percussi dixerunt: Non loquatur nobis Dominus, sed tu loquere nobis et faciemus, quidquid vis. Et ita illi semper extra hunc finem fuerunt, qui caritas est non ficta,[824] sed "de puro corde", id est sincero, ut videlicet, sicut in verbis monstratur, ita etiam sit in mente, quod inculcat dicens: Et de "bona conscientia", id est spe, que conscientiam mundat, et de "fide non ficta".[b]

"Conversi in vaniloquium", intendentes, ut dictum est, fabulis et genealogiis.

"Volentes" etc. aliis perfici per magisterium. Acsi ita dicerent: Nos sumus de progenie Aaron, de tribu Eliazar, unde naturaliter aliis preesse habemus, cum tamen nichil sciant. Et hoc est "neque intelligentes".[c]

"Scimus". Quia dixerat: Volentes legis esse doctores, ne

[a] talibus] *inter lineas* [b] ficta] *sequitur vacuum dimidiae partis lineae* [c] intelligentes] *sequitur vacuum lineae integrae*

[821] Psalm. 110,10; Eccli. 1,16 [822] Exod. 21,23 sq. [823] 1 Joh. 4,18
[824] 2 Cor. 6,6

videretur contra legem loqui, subnectit: "Scimus", acsi diceret: Hoc dixi, non tamen ad legis improbationem ex toto, quia "scimus, quod lex bona est", in eis videlicet, in quibus adhuc statum habet. Multa enim in lege erant, que hodie tenemus, veluti precepta moralia omnia sicuti non occidere, non furari, diligere Deum et proximum, que potius ex lege naturali sumpta erant, quia hec omnia naturaliter ratio uniuscuiusque unicuique suggerebat. Cetera vero precepta: servare sabbatum, abstinere a carne porcina, dare dentem pro dente, remota sunt, que proprie legis erant, que etiam specialiter legem appellat apostolus, quia in eis precipue lex apparebat.

"Si quis ea". Bona, dico, "si quis ea" lege "legitime", id est oportune, in illis videlicet, que naturalis etiam ratio suggerit, "utatur", id est eam teneat sicuti tenenda.

"Scientes". Quasi dicat: Dixi: Scimus, quia lex bona est,[825] "scientes" tamen istud, id est attendentes, quia videlicet "iusto" etc. Iustum enim non oportet coherceri vel cogi, qui ab omni eo, quod scit propter Deum dimittendum esse, sponte se retrahit. Et ideo illi lex posita non est, sed iniustis et nequam hominibus, ut saltem eorum a pravis hominibus reprimatur iniquitas. Et hoc est, quod supponit: "sed iniustis", id est nequam hominibus; quod monstrat per partes iniusti.[a]

"Contaminatis", id est respersis magnis criminibus, sicuti subjungit "parricidis", qui patrem interficiunt, "matricidis", qui matrem, "homicidis", qui alterum hominem. Ex adiuncto ad specialem reducitur significationem.[b]

"Plagiariis". Ut Haimoni[826] placet, plagiarii dicuntur, qui seducunt pueros et eos vendunt.[c]

---

[a] iniusti] *sequitur vacuum excedens spatium unius lineae* [b] significationem] *sequitur vacuum dimidiae partis lineae* [c] vendunt] *sequitur vacuum integrae quasi lineae*

---

[825] Rom. 7,12 [826] Haimo, *Expositio in epp. S. Pauli.* In ep. 1 ad Timotheum c. 1 (PL 117,785): plagiarii sunt seductores, qui homines seducendo furantur et vendunt.

"Et si quid". Quasi dicat: Et non solum pro talibus lex posita est, sed etiam, "si quid" etc., id est, si aliquid aliud est, quod sit adversum "sane", salubri, "doctrine", que ad sanitatem et salutem veram ducit, "que" videlicet "est secundum ewangelium", id est concordat ewangelio, ubi hominis consumatio est. Quod ideo glorie Dei vocat, quia propter ewangelicam doctrinam, verbum videlicet adbreviatum et consumans, maxime glorificandus est Deus. Quippe, si propter legem priorem, que tamen nichil ad perfectionem duxit, glorificandus erat Deus, in quo plus contulit iudeo quam gentili, sicuti apostolus dicit, qui cum querat, quid igitur amplius video, subiungit: multum quidem per omnem modum.[827] Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei, multo amplius propter doctrinam istam perfectam glorificari debet. Deum autem beatum appellat, quia eius beatitudo, quemadmodum nec finem habebit, ita omnibus modis et principio caruit. "Quod", scilicet ewangelium, "creditum est", id est commissum est michi a Deo. Et ideo "gratias ago ei" inde, id est Deo, "qui me conformavit", id est conformem fecit, "Christo Jhesu Domino nostro", qui etiam "existimavit", id est iudicavit, "me fidelem", id est dignum dispensatorem sue ecclesie, "ponens in ministerio", id est statuens in ista sua predicatione, "qui" tamen "fui prius" etc., quasi dicat, dignus, ut me perderet, si ad opera prava respiceret. Et hoc est "blasphemus", in Christum videlicet, quem ex toto respuebam, "et persecutor" menbrorum eius de loco ad locum. "Contumeliosus", id est inferens illis contumelias et verba, quantum poteram. Sed tamen, licet ex anteacta vita dignus reprobari, postmodum "misericordiam consecutus", id est adeptus sum, quia videlicet "ignorans", id est per ignorantiam, "feci" manens "in incredulitate", id est extra Christum zelo legis mee, quam sciebam a Deo datam esse.

"Superhabundavit". Et vere consecutus, quia habundavit. Nec tamen dico: Habundavit, sed "superhabundavit", plus

---

[827] Rom. 3,2

videlicet in me quam in aliis, "gratia" etc., "que", videlicet fides et dilectio, est in "Christo Jhesu", qui nos salvare venit. Et iste "sermo fidelis", quod exponit "omni acceptione dignus", id est dignus ab omnibus suscipi. Quem sermonem ponit ante oculos. Et hoc est, quia videlicet "Christus Jhesus" etc., "quorum", scilicet peccatorum, "ego primus", id est maximus, non quantum ad intentionem, quoniam, ut paulo ante ignorans feci, sed quantum ad operationem perversam, quia etiam in infantia, quando ipse persequi non poterat, fecit tamen, quod potuit servando aliorum vestimenta. Veluti in lapidatione Stephani, cuius lapidatio sicuti puero plurimum placebat.[828]

"Sed". Dixi: Quorum primus ego. Sed tamen "misericordiam consecutus", id est misertus est mei Dominus, et "ideo", id est hac utilitate aliorum, "ut" videlicet "primum", id est maxime, "ostenderet in me omnem patientiam", id est summam patientiam, qui tamdiu sustinens de tali talem me fecit. Et hoc ad hoc "ad exemplum", id est ad instructionem aliorum, ne desperent de se exemplo mei, de quo ita disposuit, qui non solum michi peccatum dimisit, sed etiam de tanto persecutore talem effecit predicatorem.

"Eorum", dico, qui "credituri sunt illi", scilicet Deo, "in vitam eternam", id est propter vitam ęternam, que quidem in causa poterit esse, sed in fine nullatenus constitui debet. Et ideo Deus, qui me ad se traxit, ad tantum etiam proficuum aliorum glorificetur et laudetur per infinita secula. Et hoc est "regi", id est Deo, qui secula, id est singulas successiones hominum optime regit, cum nichil etiam fieri sinat, ad quod causam rationabilem non applicet. Cum enim istum dampnet et illum salvet, rationem habet, quare sic vel sic faciat. "Immortali", qui videlicet in se deficere non potest ab omni corruptione ex toto alienus. "Invisibili", id est incomprehensibili, cuius natura non solum a mente humana, sed nec ab angelica comprehendi potest. Ipsa quippe divinitas sibi soli cognita est. "Honor et gloria", id est gloriosus

[828] Act. 7,58

honor et excellens, "in secula seculorum", id est per omnes successiones temporum. "Amen", id est fiat vel verum est. Hec enim dictio adverbium esse potest vel exhortativum vel confirmativum.

"Hoc preceptum". Ad Thimotheum redit et fortasse littera superior usque adhuc suspenditur, acsi diceret: Sicut rogavi, ita "hoc preceptum commendo", id est illud idem per preceptum tibi iniungo, ut videlicet, cum sis miles Dei, "secundum prophetias", id est sacras scripturas, que maxime in prophetis apparuerunt, "precedentes in te", id est in quibus a precedente etate instructus est, "milites in illis", scilicet profetiis eo modo, quo convenit, hos corrigendo, quos
153r opor || tet, illos instruendo, docendo, exortando. Milites, dico, "bonam militiam". Per istam geminationem, ut ipse in militia sit assiduus, notat. Bonam dicit ad differentiam militie raptorum. Et ut in militia ista tibi ipsi prosis et te ipsum etiam[a] edifices, subiungo: "habens" in te ipso "fidem bonam", id est credas, que oportet, et "bonam conscientiam", id est spem, que vas suum semper mundat, ut videlicet, que convenit, speres. "Quam", scilicet bonam conscientiam, "quidam repellentes", id est abicientes, "circa fidem naufragaverunt", id est erraverunt in fide. "Ex quibus", scilicet repellentibus, id est ex numero quorum sunt isti duo, "quos tradidi satane", id est iuste excommunicavi, non tamen, ut dampnentur, sed, ut "discant non blasphemare", id est non inferre blasphemiam in Deum, et ita tandem confusi revertentes salvi fiant. Quid autem sit tradere aliquem satane, in prima epistola ad Corinthios dictum est.

---

[a] etiam] *inter lineas*

[Cap. 2]

"Obsecro igitur". Iam ad memoriam reductis, que ei prius preceperat, ut in eis perseveret, de presenti incipit negotio a domo Domini sumens exordium, quomodo videlicet sit ordinanda. Et primum de orationibus in comuni[a] faciendis in ea instruit, quasi dicat: Quia de multis te volo instrui, igitur "primo omnium", id est ante omnia de omnibus, quas communiter pro omnibus facias. Et hoc est[b] "obsecro", cum tamen possem precipere sicut prelatus subiecto.

"Fieri" communiter a te in ęcclesia Dei "obsecrationes" etc. Sancti distingunt ista dicentes obsecrationes illas esse, que canonem misse precedunt; orationes vero illas, que in ipso canone dicuntur; postulationes quidem illas, que in fine misse fiunt, quando videlicet episcopus cum benedictione dimittit populum. Et in omnibus istis gratiarum actiones, id est gratias reddendas Deo, ut in omnibus laudetur et glorificetur. Et hoc "pro omnibus hominibus", iudeis et gentibus, maioribus et minoribus, et maxime "pro regibus" etc., id est pro potestatibus terrenis, quibus populus Dei commissus est, quarum vita bona salutem etiam in subiectis operatur, quia, quod maiores faciunt, minoribus videntur imperare. Unde sepe propter religiosum principem dimittunt subditi, quod propter Deum non dimitterent. Veluti de quodam milite factum est, qui habens religiosum principem, cum mecharetur cum uxore domini alterius castelli, relatum est principi, qui ait: Vide, ne feceris, ut nec etiam supra oculos tuos in castro illo amplius repperiaris. Ero enim, inquit, per viventem in secula tuus episcopus in hac re et plus quam episcopus. Et ita ille propter principem dimisit, quod propter Deum dimittere noluit. Ideoque principibus maxime orandum est,[c] in quibus pendet non solum salus populi, sed et strages. Sicut enim bona vita potestatis

[a] in comuni] *inter lineas* [b] est] *inter lineas* [c] est] *inter lineas*

bonus odor subiectis est, ita et mala malus, ut ceteros suo pravo exemplo corrumpat, quia omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto, qui peccat, maior habetur.

"Ut quidam". Pro omnibus, dico, qui sunt in sublimitate, "ut" ita "quietam et tranquillam"—unum est expositio alterius—"vitam agamus" non solum ab hostibus exterioribus, sed et a vitiis, que hostes sunt interiores. Et hoc est "in omni pietate et castitate".[a]

"Hoc enim". Quasi dicat: Illud obsecro et bene, quia "hoc", id est fieri orationes pro omnibus "bonum est". Quod exponit "et acceptum coram" etc., id est placet Deo. Et hoc inde apparet, quia videlicet "vult omnes homines" etc., id est consulit omnibus docendo, exortando, ut salvi fiant. Velle enim Dei duobus modis dicitur, tum pro disponere,[171*] iuxta illud: Quecumque voluit, fecit,[b829] tum pro consulere, ut hoc loco. At vero, quando disponere notat, mutari non potest. De quo dicitur: Voluntati enim eius quis resistet.[830] Quando vero consulere significat, sepe mutatur, cum frequenter aliter eveniat. Quippe non omne, quod consulit fieri, disponit fieri. Multis enim consulit salvari, quos salvari non disponit nec convenit. Nec mirum, si fieri consulit, quod nullatenus ordinat fieri, cum sepe, quod non vult fieri, precipiat fieri, veluti, cum Abrahe preciperet, ut filium immolaret, quod nullo modo ordinavit nec fieri conveniens fuit; vel fieri etiam frequenter prohibeat, quod tamen conveniens est fieri; veluti, cum leprosis prohiberet vel ceco, ne predicarent, quod tamen predicari voluit. Abrahe enim precepit filium immolare, non ut fieri disponeret, sed ut fidem eius aliis reve-

[a] castitate] *sequitur vacuum exiguum* [b] fecit] *inter lineas*

[829] Psalm 113,3 [830] Rom. 9,19

[171*] Cf. praesertim *Sent. Herm.*, c. 26 (PL 178,1735C sq.).—De dispositione videas etiam *Sent. Rol.*, 62 sqq.—Abaelardus in suis operibus nobis cognitis de dispositione non tractat nisi forte in *Ethica*, c. 14 (PL 178,655C). Dicit tamen et Rolandus (63): "*Magister Petrus* dicebat eum non potuisse plura disponere quam disposuit."

laret. Unde dictum est postmodum illi: Nunc cognovi, quod timeas Deum,[831] id est cognitum te feci. Leprosis vero prohibuit, ne dicerent, non tamen quod non dicerent, sed ut nobis daret exemplum, ne de aliquo minimo, quod facimus, gloriam queramus, cum ipse, quod tanta predicatione dignum fuit, predicari prohibuerit.

Contra hoc autem, quod dicitur non sepe evenire, quod Deus consulit fieri, videtur Jeronimus[832] esse. Deus enim, inquit, sententiam mutat et non consilium, ponens consilium pro dispositione. Quod ita est accipiendum, ut videlicet nullatenus mutetur, quod in sua dispositione prefixum est. Sententiam vero mutat, cum videlicet penam debitam, quam minatur, sepe non inferat. Veluti de Ninivitis dictum est ita: Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur.[833] Civitas enim subversa non est, quia ipse nec hoc quidem[a] ordinaverat, imo mutavit sententiam, id est penam, quam minatus est debitam, illis non intulit.

"Et ad agnitionem", id est cognitionem, "veritatis", id est Christi, qui veritas est. Et nota, quia ordinem preposterat. Primum enim fidem Christi et doctrinam suscipere, deinde salvari oportet.

"Unus enim". Acsi diceret: Et vere vult, quod ex illa summa dilectione apparet, quam nobis exhibuit, pro quibus Filium suum tradidit unigenitum. Et hoc est, quia "unus Deus" est, qui videlicet mundum reconciliavit sibi per Christum mediatorem,[172*] id est concordatorem Dei et hominis, qui Deum et hominem, qui prius tamquam inimici extiterant, invicem reconciliavit. Sicut enim aliquis, qui tamquam medius vult paccare, oportet cum utroque aliquam

---

[a] quidem] *inter lineas*

---

[831] Gen. 22,12 [832] *Commentariorum in Jonam liber* c. 4 (PL 25, 1144): et quia mavult poenitentiam peccatoris quam mortem, libenter mutavit sententiam, quia vidit opera commutata. Quin potius Deus perseveravit in proposito suo misereri ab initio. [833] Jonas 3,4

[172*] Cf. *Sent. Herm.*, c. 23 (PL 178,1732A)

habere affinitatem, ita Christus utramque naturam habens nos Deo et Deum nobis concordavit, et, quemadmodum due ille nature in unionem persone in ipso[a] coniuncte sunt, ita nos Deo per illam unionem in summam concordiam uniti sumus.

Et quomodo mediator? monstrat dicens: "qui dedit redemptionem" non aliam hostiam quam "seipsum pro omnibus".[b]

"Cuius" scilicet Christi "testimonium", id est ewangelium, a prophetis testificatum et multo ante predicatum, "datum est", id est revelatum est, "temporibus suis", id est congruis et ad hoc a Deo dispositis.

"In quo", scilicet testimonio predicando aliis et manifestando, "positus", id est ego maxime constitutus sum, "predicator et apostolus", quia ceteri apostoli, cum quandam partem mundi tamquam parrochiam suam habeant, michi utique commissus est mundus universus. Et super hoc tamquam sacramentum inducit dicens: "veritatem dico", id est per Christum, qui veritas est, iuro, quod videlicet in his "non mentior", que dico. Precipue "doctor gentium", et hoc "in fide et veritate", id est in vera fide.

"Volo ergo". De orationibus communiter in domo Domini pro omnibus, qui in sublimitate sunt, faciendis eum instruxit. Et quia utrumque sexum, tam viros quam mulieres vult ad orationes commoveri, eos ad hoc exortatur.

Continuatio: Et quia acceptum est Domino, ut dixi, pro omnibus orare, igitur volo tam viros quam mulieres ad orationem commoveri. Et hoc est "volo viros orare in omni loco", id est viros volo amplius orationem frequentare, cum ei omnis locus pateat ad orandum. Viro enim, si est in theatro, orare licet et quocumque loco orationem facere. Mulier vero non habet foras vagari nec ita exire vel per plateas discurrere, sed cum verecundia in abscondia esse,

---

[a] in ipso] *inter lineas* [b] omnibus] *sequitur vacuum dimidiae partis lineae*

ubi orare licet. Unde, cum quedam matrona Romana Egiptum profecta fuerit, ut se orationibus Antonii viri religiosissimi commendaret, ille, cum audierit eam ex tam remoto venisse, dixit illi, cum ipsa se precibus illius commendari postularet: Memoriam tui auferat Deus de corde meo. Nescis enim, cum sis mulier, quia tibi vagari non licet. Et quia ita mulieri non omnis patet locus, vult apostolus virum in oratione frequentiorem esse, qui etiam circa curam domesticam minus sollicitus est quam mulier, que semper, cum circa pueros nutriendos tum circa cetera, que cotidianis sollicitudinibus instant, occupata est, ut ita semper multo maiore labore implicita sit quam vir, quamvis tamen nature sit longe inferioris. Veluti in equo et asino evenit. Asinus enim, qui multo debilior est, laborem habet, qui numquam cessat, cotidianum. Equus vero non ita in labore assiduus est, cuius tamen unus labor labores asini universos longe convincit, cum videlicet multo maiora uno eius labore adquiramus. Et hoc est "volo" etc., id est frequentiores esse, ut diximus, in oratione, qui et magis sunt expediti et quibus non unus patet locus, sed universus.

Viros, dico, "levantes puras manus", id est habentes, quod in elevatione manuum significatur. Per manus, quas ad ea, que agimus, applicamus, opera sepe designantur. Que manus tunc pure sunt, quando videlicet omnis nostra operatio ita ad Deum applicatur, ut sincere propter ipsum, quicquid facimus,[a] faciamus, non propter nos, quasi aliquid emolumenti ab ipso expectemus, sed ipsum in fine, non nos in omnibus, que agimus, constituamus.[173*] Et tunc habebimus elevationem purarum manuum, quando opera nostra pure propter Deum elevantur. De qua elevatione dicitur: Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.[834] || 153v

"Sine ira". Et quia ira orationis efficaciam prepedit, iram re-

---

[a] facimus] *inter lineas*

---

[834] Psalm. 140,2

[173*] Cf. Abaelard., *Theologia, lib.* 1 c. 1 (PL 178,983) ; *Sent. Herm.*, c. 1 (PL 178,1695)

movet, ne ira turbati ad orandum veniamus, que hominem a se alienat et ex toto extra se ponit. De qua dicitur: Si venis ad altare et habes iram cum fratre, dimitte ibi munus tuum et vade reconciliare fratri tuo et deinde veniens offer munus tuum,[835] quia, ut beatus dicit Johannes ewangelista: Qui irascitur fratri suo, homicida est.[836] Et hoc est "sine ira", id est illa animi commotione, que non dimittit hominem Deo intendere. Et non sine ira, sed et sine "disceptatione", id est terrenis curis superfluis, que ita orantem distrahunt, quod nullo modo cor interim Deo intendetur et oratio tantum in sono erit et animus sine devotione.

"Similiter". Acsi diceret: Et non solum volo viros orare, sed "similiter et mulieres" volo, videlicet orare, etsi non in omni loco, quemadmodum viros. Istud enim similiter non quantitatem orationis notat, sed simpliciter similitudnem. Tale enim illud est: Estote misericordes, sicut et Pater vester.[837] Non enim dicit: *tantum,* sed: *sicut,* ut similitudo notetur, non quantitas.

"In habitu ornato". Quod iam exponet. "Cum verecundia", id est verecundetur mulier semper timens sibi, ne faciat, quod fieri non oporteat, ut tanto sibi precaveat, quanto nature est labilioris quam homo, memor semper, quia in primis parentibus vir per mulierem lapsus est. "Et sobrietate", ut videlicet mulier ebria non sit. Mulier enim ebria tamquam se ipsam publicat et membra sua ad luxuriandum prostituit. "Non in tortis". Ecce habitum exponit, quasi dicat: In habitu ornato, id est convenienti ornantes se et "non" in "crinibus" etc., id est non habentes crines aureis retiaculis vel lapidibus pretiosis redimitos, quod non decet sacras mulieres, quod est lecatricum facere et lenarum, ut per huiusmodi incitamenta libidinis[a] naturam humanam, que satis sine fomento extrinseco in se ad excedendum prona est, proniorem et ardentiorem efficiant.

"Sed quod decet". Non in tortis crinibus, ut dixi, sed sem-

---

[a] libidinis] *inter lineas*

---

[835] Matth. 5,23 sq. [836] 1 Joh. 3,15 [837] Luc. 6,36

per facientes, "quod decet mulieres", id est convenit facere. Mulieres, dico, "promittentes" etc., id est procul mittentes bene operando. Pietas enim, id est misericordia, tunc a nobis procul mittitur, id est quasi extra nos ponitur, quando per bonum exemplum tamquam de sinu nostro eam in sinum proximi proicimus et illam in ipso edificamus. Hanc autem operationem pietatis maxime decet mulierem, que clavem panis et clavem vini[a] habere debet, et, quod vir congregat, pauperibus et pro se et pro viro suo impertire. Vel "promittentes", id est profitentes in se pietatem per bona opera, que signa sunt misericordie.

"Mulier". Quasi dicat: De mulieribus volo, quod dictum est, et illud etiam, ut videlicet "mulier discat" a viro, quod oportebit "in silentio", id est in pace, non contentiose quicquam interrogando virum, et hoc "cum omni subiectione", id est summa humilitate, ut omnino viro subiecta sit memor sue nature imbecillioris et ad labendum pronioris.

"Docete" etc. Acsi diceret: Volo, inquam, ut doceatur a viro, sed, ut virum doceat, non concedo. Et hoc est "non permitto", id est non concedo, "mulieri docere", videlicet virum, "neque dominari in virum", id est supra virum dominia habere, "sed esse in silentio", id est in pace cum viro, ut soloecismum liceat fecisse marito.

Queritur de abatissa, an liceat ei subiectos suos docere.

Ad quod philosophus: Ei, inquit, suis disponere licet et illis preesse, ut videlicet dicat uni: Veni, et venit, alii vero: Fac hoc, et facit, vel: Vade illuc, et vadit. Quod non recte docere possumus appellare, cum eque id habeat facere matrona quelibet, que domui sue disponere habet.

"Adam enim". Bene dixi: Cum subiectione, quia, quod mulier viro suo debeat esse subiecta, ammonetur in prima origine sua, quia videlicet in creatione primorum parentum vir primum creatus est, deinde mulier et de viro ipso, ut in hoc etiam mulier viro cognoscat subiectionem debere tamquam membrum capiti, de cuius corpore ipsa manavit. Et

[a] vini] *inter lineas*

hoc, quia "Adam formatus", id est creatus est, "primus, deinde", id est post creationem illius, "Eva" tamquam posterior.

"Et Adam". Aliam etiam causam subnectit, quare viro subiecta debeat esse mulier nec etiam supra virum dominium habere, sed a viro ei semper loricam imponi, quia videlicet vir per primam mulierem, que diabolo credidit, consentiens illi deceptus est. Et dicunt sancti mulierem seductam esse, virum vero non seductum, sed deceptum esse. Eva enim seducta fuit, quia, cum illi suggestor dixerit: Comedite et eritis postmodum quasi dii,[838] statim credidit Deum existimans omnino mendacem esse, cuius sententiam super hoc iam audierat, cum ait: In quacumque die comederitis, morte moriemini.[839] Adam vero deceptus fuit, non seductus, quia non credidit obtinere, quod diabolus mulieri pollicitus est, sed de venia postmodum habenda cogitans mulieri consensit nolens eam irasci, cum videlicet ipsa, postquam comederat, illi deinde pomum porrexerit. Et ita, ut aiunt sancti, Adam seductus non est, sed mulier. Et hoc est: "Et Adam non est" etc. "in prevaricatione", id est in illa transgressione.

"Salvabitur". Ita seducta fuit mulier et vir per mulierem deceptus. Per quam seductionem perduntur filii, quia sentit adhuc proles, quod commisere parentes. Sed tamen "salvabitur" etc., id est restituetur salus per mulierem, que bonos generabit filios, qui succedent loco perditorum multo meliores, quam essent, si patres primi non peccassent, etsi multo pauciores salventur. Quod enim peccavit mulier, multi in rei veritate dampnantur. Sed tamen hi, qui salvantur, longe potiores erant[a] quam futuri essent, si peccatum non intercidisset.

Sed queritur, quomodo dicatur, quod posteritas[b] illorum salutem[c] amiserit, quam numquam habuerit, vel etiam salus sit restituta, cum a nullis fuerit habita.[d]

---

[a] erant] *inter lineas* [b] posteritas] poteritas [c] salutem] *inter lineas* [d] habita] habuita

---

[838] Gen. 3,5 [839] Gen. 2,17

Philosophus: Hec, inquit, obiectio non multum cogit, cum secundum omnem usum sermonis facile refelli possit. Astruit enim beatus Augustinus,[840] quia et illam, inquit, amisi civitatem vel castellum illud, quod tamen numquam habui, cum tale impedimentum intervenerit, quo remoto certum esset me illam civitatem vel castrum habere. Ad hunc modum dicimus, quod filii Ade salutem amiserunt, quam tamen numquam habuerunt, quam eos constat habere, si culpa non intervenisset.

Et hoc est "salvabitur", id est restaurabitur salus per filios, quos mulier generabit, "si" videlicet filii "permanserint", id est perseveraverint, "in fide et dilectione", id est amore Dei, qui hominem sanctificat et in omnibus sobrium reddit. Et hoc est "et sanctificatione cum sobrietate".

---

[840] Cf. *De Genesi ad litteram lib.* 11 c. 23 (PL 34,441): . . . non ex eo, quod acceperat, cecidit, sed ex eo, quod acciperet, si subdi voluisset. . . .

[Cap. 3]

"Fidelis". Iam eum instruxit nisi de illis, que[a] circa plebes subiectas ordinanda sunt. Nunc de illis, qui circa domum Domini specialiter disponi debent, vult eum instruere de ęcclesiasticis videlicet ministeriis, id est de sacerdotibus et levitis, id est diaconibus. De ceteris enim ordinibus minoribus non instruit, quia illi duo ordines, qui et sacri ordines appellantur, in primitiva, ut supra meminimus, tantum fuerunt ęcclesia, quia tota domus duo sunt: idem parentque iubentque.[b] Alii vero inferiores ordines numero crescente fidelium quasi ad necessitatem postmodum superaddita sunt, ita etiam, ut una persona singulos in se haberet ordines. Cum enim diverse essent ęcclesie nec pre paupertate singule in singulis personis singulos possent ordines habere, uni omnes concessi sunt persone. Verumtamen, etsi hodie omnis sacerdos sit diaconus, unusquisque ordo in diversa posset esse persona, ita videlicet, ut nullus sacerdos diaconus esset, quemadmodum fuit in primis christianis, qui nullum sacerdotem habebant diaconum. Sicut enim Aaron fuit sacerdos, etsi non prius fuerit levita, ita et in his temporibus fieri posset. Quod tamen, si fieret, quia contra consuetudinem et institutionem ecclesie fieret, non esset ratum, nec ille, qui sic ordinaretur, ministraret, qui tamen nichilominus sacerdos esset, sicut in depositione episcopi non aufertur esse episcopum, sed officium interdicitur, veluti si quis sacerdos uxorem duxerit, prohibetur ei ministrare, sed sacerdotium tamen non aufertur. Si vero ille ad Grecos transeat et uxorem tenere et ministrare poterit sine periculo, quia hic, quod non apud nos, facere hoc liceret.[c]

Sed precipue, cum episcopi monachos etiam hostiarios vel exorcistas faciant, mirandum est, cum videlicet officia ista

[a] nisi de illis que] *inter lineas* [b] quia—iubentque] *inter lineas*
[c] Sicut enim Aaron—liceret] *inter lineas*

numquam exercebunt. Sicut etiam episcopus, cum et ipse sit hostiarius, numquam hoc suum exercebit officium, quem nec quoque presente presbitero baptizare convenit. In cuius presentia, si baptizaret, illi violentiam inferret, quia, ut dicit apostolus, non misit me baptizare Dominus, sed ewangelizare.[841]

Et cum monachum hostiarium faciat episcopus, mediocriter non miror, quomodo ei dicat: Accipe claves istas et, que sub istis clavibus reconduntur, cum magna custodi diligentia, cum videlicet in traditione clavium nichil ei assignet ad custodiendum, quod sub illis clavibus recondatur. Nullum enim in clericum promovere debet episcopus, cui propriam, unde vivat, ęcclesiam non assignet; quem aliter omnino decipit, nec fieri convenit. Quippe, cum aliquem in clericum ordinat, omnino in terrenis aufert ei hereditatem, quia eum transducit in sortem Domini, ut in temporalibus postmodum nulla sit eius hereditas, sed sit Dominus pars hereditatis eius, ut amplius de decimis et oblationibus ęcclesie victitet, que ei ab episcopo assignetur. Assignata autem ęcclesia cum quemcumque parvulum clericum fecerit, interim, dum puer est ille, debet et presbiterum alterius || ecclesie proxi- 154r
mum, quem viderit necessarium, invenire, qui illi ecclesie ministret, qui et de beneficiis illius ęcclesie partem habeat, et puer partem, unde nutriatur et sustentetur.

De predictis itaque duobus instruit ordinibus et primum de sacerdotio. Et hoc est "sermo", qui videlicet sequitur, "fidelis", id est talis, cui fides adhibenda est, quod videlicet, "si quis desiderat episcopatum", id est, si aliquis optat officium istud eo fine, quo vult desiderari, ut videlicet ipsum expleat eo modo, quo oportet, "bonum opus desiderat", id est bonam operationem, bonam administrationem veluti predicare, docere, exortari, quod convenit episcopum facere, ut lucrum faciat animarum.

Et nota, quod per episcopum hoc loco more suo accipit quemcumque sacerdotem sicuti supra in epistola ad Philipenses,[842]

---

[841] 1 Cor. 1,17 [842] Cf. supra, 447

ubi dictum est cum episcopis et diaconibus,[843] id est cum sacerdotibus, quia, ut ibi monstravimus, in una civitate non possunt esse plures episcopi. Non autem dicit apostolus, ut beatus dicit Jeronimus:[844] Honorem vel dignitatem desiderat, sed bonum opus, quia propter istam administrationem sive prelationem non est aliquis dignior vel melior apud Deum. Sed sepe laxiores fiunt et minoris meriti, qui de vita solitaria ubi liberius eis Deo vacare licuit, ad alicuius publice cure amministrationem promoventur, quia, ut dicit psalmista: Deiecisti eos, dum allevarentur.[845] Quod beatus Gregorius[846] cum expertus fuerit a claustrali vita ad ecclesie Dei gubernationem tractus, dicebat: Ve michi, cui non licet intendere Deo. Quam felix prius, cum in claustro essem, qui libere divinis vacabam et sacris scripturis intendebam. Idem quoque beatus conquerens Martinus[847] et ingemiscens, cum esset in episcopatu, ad priorem semper suspirabat vitam.

Hec enim administratio etsi magni nominis sit apud homines, apud Deum nullum ex toto pretium habet, que etiam cum vita hominis terminatur. Vita vero contemplationis cum hic incipiat, in futuro summa erit, ubi ex toto fidelis anima Deo intendet, quia Maria optimam partem elegit, que non auferetur ab ea. Et cum utramque vitam Deus approbet, ista, quam Maria eligit, plurimum ei placet, quia Rachel, que pulcra fuit, quamvis[a] sterilis fuerit, patriarche tamen plus placuit quam Lia lippa, etsi fecunda multos habuerit filios. Rachel autem pulcra et sterilis contemplativos significat, qui summo patriarche, id est[b] Deo, plurimum placent, et sibi tantum intendentes filios Deo non procreant. Lia vero in prole fecunda ministros designat ęcclesie, qui docendo et exortando cotidie Deo gignunt filios. Lia autem lippa fuit, quia isti amministratores sepe excecantur et sibi non inten-

---

[a] quamvis] *syllaba* vis *inter lineas* [b] summo—id est] *inter lineas*

---

[843] Philipp. 1,1 [844] Hieronymus, *Epistola 69* (PL 22,662) [845] Psalm. 72,18 [846] Cf. notam 441 [847] Sulpicius Severus, *Vita S. Martini* c. 10. (ed. C. Halm [Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum] Vindobonae (1866) 120)

dentes lippi fiunt, qui, quantum ad officium suum spectat, non habent nisi aliis providere. Unde et oculi ęcclesie dicuntur tamquam alios videntes et non se more oculi, qui alios videns seipsum non videt. Ideoque Dominus apostolos suos per mundum missurus predicare, pedes eorum prius abluit, ne quid pulveris, cum diverso discurrerunt, pedibus eorum adhereret, sciens, quia post baptismum eis necessaria fuit pedum ablutio. De quo sponsa in canticis, cum sponsus ad portam clamet dicens: O sponsa mea, amica mea, dilecta mea, surge et aperi michi,[848] ait illi: Ecce ablui pedes meos et sum in lectulo meo. Quomodo iterum pedes meos coinquinabo.[849] Eo autem instanter pulsante tandem dicit sibi: Surgam et aperiam ei,[850] ne gelu et estu amicus meus moriatur. Et surgens et a lecto suo foras exiens cum portam aperuerit, pedes habens coinquinatos non invenit eum. Dominus enim cum pulset in corde alicuius contemplativi, ut ei aperiat, id est a lecto quietis sue exeat et puplicam curam suscipiat, si in illa amministratione pedes suos coinquinavit, statim recedit, quia etiam[a] Rachel pulcra, que desideravit filium, in partu suo extincta est.

Et cum utraque vita in apostolis fuerit, post illos tamen viros perfectissimos, quia utramque vitam simul habere periculosum est, divisa est postmodum. Ministri enim ęcclesie amministrationem illam et prelationem habent. Monachi vero vitam eorum contemplativam specialiter susceperunt, qui omnia in commune redigunt, quemadmodum apostoli fecerunt, quibus omnia erant communia. Dispensatores tamen, quamvis super monachos potestatem habeant, non ideo ipsi digniores quicquam sunt vel illi indigniores apud Deum, qui inspector renum est et probator cordium.[851] Imo isti secundum vite dignitatem longe videntur digniores,[b] qui vitam habent multo excellentiorem. Unde dicitur: Sancti monachi vel sancti heremite, orate pro nobis. Sancti vero episcopi nusquam invenitur. Unde etiam Dominus Johan-

---

[a] etiam] *inter lineas* [b] digniores] *inter lineas*

---

[848] Cant. 5,2 [849] Cant. 5,3 [850] Cant. 5,5 [851] Jerem. 17,10

nem Baptistam, qui in heremo Deo intendebat, ut vel eum ad predicandum mitteret vel ab ipso baptizaretur, a vita solitaria non vocavit, sed in humilitate ad ipsum veniens, ubi erat iuxta Jordanem, inter ceteros ab illo baptizatos baptizatus est et ipse.

Monachi tamen, qui vitam meliorem habent, non mediocriter sibi precaveant, quia et inter apostolos repertus est Judas et inter diacones Nicholaus. In omni enim vita quidam damnantur, quidam salvantur. Quippe duo sunt in agro et unus assumetur et alter relinquetur. Item duo in lecto, et unus assumetur et alter relinquetur. Item duo in mola, et unus assumetur et alter relinquetur.[852] Illi autem, qui sunt in agro, designant rectores ęcclesie, qui intendunt agriculture Dei docendo et exortando. Unde apostolus: Nos, inquit, sumus adiutores Dei, vos autem Dei agricultura.[853] Hi vero, qui in lecto sunt, eos significant, qui postpositis omnibus, ut sint in quietis, soli Deo intendunt. Qui autem sunt in mola, coniugati sunt, qui volventibus curis semper sunt solliciti quiescere. Et quasi semper molentes pre instantia sollicitudinum non licet eos quiescere. Unde apostolus: Qui autem cum uxore est, cogitat, que sunt mundi et quomodo placeat uxori.[854] Et converso de muliere dicit: Que autem nupta est, que mundi sunt, cogitat, et quomodo placeat viro.[855]

Et hoc est, ut diximus, "si quis episcopatum desiderat", quantum officium in se habet, non desiderat dignitatem, non honorem, sed "bonum opus", id est docere, exortari, ut semper de aliis cogitet et semper de aliis Deo lucrum faciat.

"Oportet ergo". Quia videlicet bonum opus desiderat, si quis episcopatum desiderat, igitur "oportet episcopum inreprehensibilem", id est talem, ne in aliquo possit argui vita ipsius, ne videlicet, cum aliis predicet, predicatio illius contempnatur. Unde apostolus supra: Sed ideo etiam, inquit, castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne, cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar.[856]

---

[852] Luc. 17,34 sq.; Matth. 24,40 sq. [853] 1 Cor. 3,9 [854] 1 Cor. 7,33 [855] 1 Cor. 7,34 [856] 1 Cor. 9,27

Et cuiusmodi hominem consulat in episcopum provehi, supponit "unius uxoris virum", qui videlicet digamus non sit. Qui enim duas habuit, magis in libidine monstratur intemperans, de quo minus sperandum est. De iuvene tamen non prohibet, sed ut cautius fiat, de uxorato consulit, qui iam sue domui preesse novit—et hoc ad exemplum Domini, qui Johannem, qui iuvenis erat, quem tamen pre ceteris dicitur dilexisse, aliis non prefecit, sed Petrum, qui uxorem et filios habuit, quibus preponi predidicit, ut qui in domestica cura bene prefuit, in ecclesia Dei merito preficeretur.

Alia etiam de causa noluit eis Dominus illum Johannem, ne videlicet, si iuvenem prelatum haberent, aliqui fortasse tangerentur invidia. De etate ordinandorum in presbiterum non respiciatur ad pueritiam Daniel, qui puer senes iudicavit. Quippe non propter hoc senibus preferendi sunt pueri. Ut enim beatus astruit Jeronimus,[857] aliter de miraculo, aliter de moribus tractamus.[a]

"Sobrium", qui videlicet in omnibus servet modum. "Prudentem", id est peritum in litteris. "Ornatum" non solum in virtute[b] morum, sed et in habitu. "Pudicum", id est continentem ex toto. "Hospitalem", qui libenter hospites suscipiat. "Doctorem", id est, qui alios sciat instruere. "Non vinolentum", id est non deditum vino, in quo est luxuria.[c]

"Sue domui bene prepositum", id est, qui bene presit sue domui. Qui enim fidelis est in minimo, sperandum est de illo, quoniam et fidelis erit in maiori. Qui vero privatis rebus nondum preesse novit, multo minus rebus publicis prefici potest. Quod iam dicet apostolus. "Filios habentem subditos", id est obedientes in omnibus. Per quod multum commendatur pater familias. Familia enim bene ordinata patris familias sollertiam predicat. "Cum omni caritate".[d]

"Si quis autem". Diceret aliquis: Et quare dicis bene

[a] De etate—tractamus] *in margine* [b] virtute] *inter lineas* [c] luxuria] *sequitur vacuum duarum tertiarum partium lineae* [d] caritate] *sequitur vacuum tertiae partis lineae*

[857] Locus non inventus

prepositum sue domui? Ideo quidem, quia, "si quis" etc., id est, qui domum suam, que minima est, regere nescit, quomodo regere poterit domum Dei, que maxima est. "Non neo-
154v phitum". Quasi dicat: Item || non sit neophitus, id est noviter conversus, ne in elationem superbie incidat dicens apud se: O qualis et quantus sum, qui eri conversus hodie aliis preficior. Unde beatus Jeronimus:[858] Eri in circo inter gentiles; hodie inter christianos prelator in altario. Et hoc est, quod supponit "ne" videlicet "in superbiam elatus", id est prorumpens in superbiam, "incidat in iudicium diaboli", id est in dampnationem, in quam diabolus incidit, qui primus pro superbia dampnatus est.

"Oportet autem". Item episcopum dicit talem esse oportere, ut non solum[a] sit bone fame apud fideles, sed et apud illos, qui foris sunt, id est infideles, ut semper, si quos poterit, bone conversationis exemplo ad christianismum alliciat.

Continuatio: Et non solum a fidelibus "oportet" episcopum "bonum testimonium", id est bonam de se habere existimationem, sed et "ab his, qui foris", id est ab infidelibus. Et hoc ideo saltem,[b] "ut" videlicet "non incidat in opprobrium", id est, ut non sit suis in opprobrium et vituperium, ne illi, qui foris sunt, habeant ullam detrahendi occasionem, qui occasionem querunt, ut dicant: Ecce quam lecatorem episcopum habetis. Vere talis prelatus tales decet subiectos. At vero econtra fiat, ut vita etiam bona prelatoris commendet vitam subiectorum.

Et item, ne incidat "in laqueum diaboli", id est, ut non sit laqueus, per quem diabolus alios capiat et decipiat, iuxta illud prophete: Laquei iuvenum senes eorum.[859] Imo econtra sit laqueus Dei, per quem Deus eos, qui foris sunt,[c] ad se trahat.

---

[a] solum] *inter lineas* [b] saltem] *inter lineas* [c] sunt] *inter lineas*

---

[858] Epistola 69 n. 9 (PL 22,663): Heri catechumenus, hodie pontifex; heri in amphitheatro, hodie in ecclesia; vespere in circo, mane in altario; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.
[859] Cf. Isaias 42,22

"Diacones". De primo ordine, id est de sacerdotio instruxit. Nunc ad secundum transit, id est ad diaconatum, docens diacones, quemadmodum episcopos, quales oportet esse. Quos similiter pudicos esse dicit oportere.

Continuatio: Non solum episcopos oportet esse pudicos, sed "similiter diacones" oportet esse "pudicos". Non autem de illa pudicitia loquitur, que est in coniugatis, imo, ut ex toto sint continentes et omnino uxore careant. Hec enim continentis est in prelatis decor maximus. Unde veritas: Sint, inquit, lumbi vestri precincti et lucerne ardentes in manibus vestris.[860]

"Non bilingues". Ille billinguis est, qui aliud in corde habet et aliud in ore. "Non multo vino deditos", id est sobrios; non tales videlicet, qui vino soleant inebriari. "Non turpe sectantes". Omnis ille qui pecunie congregande non intendit propter Deum, sed ut sola cupiditate in terrenis affluentiam habeat, turpe lucrum sectatur. De quo dicitur: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.[861] Si quis vero clericus etiam agriculture intenderit, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti, etsi aliunde habeat, unde sustentari possit, lucrum pulcrum est, cum videlicet propter Deum fiat. Quippe omne lucrum, cuius finis Deus esse proponitur, honestum est. Si autem aliquis hac intentione ordines acceperit, non ut Deo serviat, sed ut vel melius vivat vel meliores vestes habeat vel maiorem pecuniam adquirat, lucrum turpe est, quod etiam non[a] dimitteret, etsi aliunde haberet, unde ei ministraretur. Qui vero ordines emerit vel pecuniam pro eis, que ad ecclesiastica bona spectant, que gratis danda sunt, hac intentione dederit vel etiam acceperit, ut ditior sit, imo etiam qui voluntatem emendi vel vendendi habet et nititur quantum in se est et non propter Deum,[b] omnis ille pro simomacho habetur apud Deum. Sicut enim cetera peccata non in opere, sed

[a] non] *inter lineas* [b] et non propter Deum] *inter lineas*

[860] Luc. 12,35 [861] Psalm. 51,9

in contemptu consistere dicimus,[174*] ita et simoniam, que a Simone mago traxit vocabulum, qui primus simomachus dictus est, quamvis primus simoniacus non fuerit. Multi enim ante eum simomachi fuerunt, etsi simomachi non dicerentur. Hic autem dictus est simomachus non ex opere, qui, quod prave voluit, nequaquam complevit, quia nec ipse emit nec Petrus ei vendidit nec vendere voluit, quod ille perverse cupivit. Ex prava itaque cupiditate dampnatus est, qui hac intentione dona miraculorum emere voluit, ut in terrenis teshaurum faceret. Simoniam igitur dicimus contemptum illum mentis, etiam in mente adhuc latentem, qui ex perversa provenit cupiditate emendi vel vendendi quodcumque bonum ęcclesie, quod gratis dandum est, sive sint ordines sive virtuale aliquod ut prebenda.[a] Emptio vero ipsa sive venditio simonia non est, que rationabiliter et sine peccato fieri potest. Si enim aliquis personam inutilem, perniciosam, regi familiarem in episcopum promovendam esse viderit, de cuius promotione non mediocrem intelligat ecclesiam incommoditatem incurrere, tunc si regi vel principi quantumlibet pecunie dederit, ut honestam personam promoveri velit et illam removeri,licet interveniente pecunia fiat episcopus, non est simonia nec peccat, qui emit, cum propter Deum id fecerit, qui potius redemit ęcclesiam quam emit, qui eam a manibus iniqui liberavit. Emptio tamen illa si rescita fuerit, propter scandalum episcopus ille, etsi non peccaverit, debet degradari, ne videlicet alii sub hac specie religionis malitiosas exerceant emptiones sive venditiones.

At vero, cum perversi emptores rerum sive venditores comuni vocabulo dicantur simomachi, proprie tamen vendentes giezite appellantur, dicti giezite a Giezi Helisei prophete disciplulo, qui, cum Heliseus Naaman Sirum a lepra curasset et infinitam oblatam sibi ab illo renuisset pecuniam, clam principem illum secutus mentitur se a propheta pro

[a] sive sint—prebenda] *inter lineas*

[174*] Cf. Abaelard., *Ethica*, c. 3 (PL 178,636 sqq.)

oblata pecunia missum nec magistrum suum habere, quid filiis prophetarum postmodum venientibus impertiret. Cui Naaman statim duo talenta, que maximi erant pretii, dari precepit. Quo rescito per Spiritum Sanctum[a] Heliseus gravissime tulit et statim ille lepra percussus est.[862] De cuius genere tantum sunt illi, quibus etiam hodie[b] lepra adheret.

Manifestum est igitur simoniam heresim multo tempore ante Simonem magum fuisse, licet a Simone maxime nominata sit. Et fortasse cum simomachi sive giezite dicantur, qui prave vel vendere vel emere volunt, quod gratis dandum est, si sermonis proprietatem attendamus, non eos simomachos vel giezitas dicemus, qui tantum in mente habent contemptum, sed multo minus illos, qui sine contemptu vendunt vel emunt. Proprie igitur simomachus vel giezita appellatur, qui, cum in mente contemptum habeat, usque ad opus tamen prorumpit, sicut nec mechus dicitur secundum vocabuli proprietatem, qui tantum in corde mechatus est. At vero multo minus, qui sine contemptu precedente cum uxore alterius concumbit, vel que coacta cum viro alterius dormit. Numquid enim Lucretia adultera est? Absit, cum ei vis fuerit illata. Duo quippe, ut quidam poetarum[863] dixit, quod et beatus plurimum commendat Augustinus,[864] in lecto sunt et unus adulterium committit.

"Habentes misterium fidei", id est tales eligantur, qui habeant discretionem ad discutiendum et disserendum de[b] occultis illis, que ad fidem spectant. Et hoc "in conscientia pura", ut videlicet nemo contra conscientiam et ministerium accedat, ad quod se sufficere non credat.

"Et hi", id est diacones, "probentur primum", id est prius examinentur, an videlicet sint tales, qui ad hoc sufficiant. "Et sic", id est examinati, "ministrent", id est officium suum, ad quod ordinantur, exerceant. "Nullum autem cri-

---

[a] per Spiritum Sanctum] *inter lineas* [b] hodie] *inter lineas* [c] de] *add.* illis

---

[862] 4 Reg., 5 [863] Cf. Augustin., *De civitate Dei lib.* 1 c. 19 n. 2 sq. (PL 41,33) [864] *Ibid.*, 1 c. 19 (PL 41,32)

men habentes", non dico nullum peccatum, sed nullum crimen, quod videlicet rescitum personam reddit infamem.

"Mulieres". Post diacones de diaconissis subiungit et, quales illas oporteat esse, similiter docet, ut videlicet sint pudice, id est ex totis continentes, quemadmodum diacones; non detrahant, quod maxime mulierum est; sint et sobrie, id est non vino dedite; "fideles in omnibus", id est in omni administratione.

Iste autem mulieres, quas diaconissas appellamus, sunt ille, que aliis in amministrationibus suis preesse habent et illis ministrare. Unde diaconisse dicuntur, id est ministre, iuxta illud dominicum: Qui maior est[a] vestrum fiat minister vester.[865] Et iste ordo mulierum diu est, quod incepit, quia et in veteri testamento et in novo legimus fuisse diaconissas, id est mulieres, que sanctis ministrabant. Quippe et prophete habuerunt sacras viduas ministrantes sibi, et, sicut beatus astruit Ambrosius, Dominus Jhesus sacras mulieres secum habuit, que[b] de sua substantia predicatoribus ministrabant, que etiam usque ad passionem eum secute sunt. Et deinde apostoli exemplo Domini religiosas secum habebant mulieres, que, dum illi[c] predicationi intenderent, cibos interim parabant eis. Unde apostolus, ubi loquitur, quod, sicut ceteri de predicatione ewangelii posset sustentari, ait: Nunquid non habemus postestatem sororem mulierem circumducendi sicut et ceteri apostoli? Aut solus ego et Barnabas non habemus potestatem operandi hec?[867] Phebe autem, de qua loquitur apostolus in epistola ad Romanos, erat de numero harum mulierum, que, ut sancti dicunt, Cenchris, in illo loco iuxta Corinthum, diaconissa fuit, ubi quibusdam sacris viduis preerat, que peregrinis et illis pauperibus, qui ibi erant, ea, que poterant, cotidie ministrabant. Et mulieres huiusmodi, que aliis in minstratione pauperum presunt, hodie abatisse vocantur, que convenientiori vocabulo iuxta

---

[a] est] *inter lineas* [b] que] qui [c] illi] *inter lineas*

---

[865] Matth. 20,26; 23,11; Marc. 10,43 [866] 1 Cor. 9,5 [867] 1 Cor. 9,5 sq.

dominicam sententiam, que est: Qui maior est vestrum, ut paulo [ante] diximus, fiat minister vester,[868] ministre appellantur.

Et attende, quod diaconisse, || etsi diaconisse dicantur, non 155r
legunt in missa ewangelium, quod tamen in matutinis bene possunt pronuntiare, nec habent impositionem manuum sicut diacones; habent tamen benedictionem propriam. Et has, que aliis preficiuntur, oportet esse unius viri uxores sicut episcopos unius uxoris viros sive diacones. Et non eligantur ad hanc vitam quecumque vidue, quia, ut dicit apostolus, iuvenculas volo nubere,[869] ne seducte postea ad seculum devolent. Et quecumque eligantur, debet episcopus illis providere et de beneficiis ęcclesie eis ministrare.

"Diacones". Item post diaconissas ad diacones redit, de quibus simul agit eo, quod sunt eiusdem officii. Diacones etiam a mensa sanctarum viduarum translati sunt ad mensam Domini. Unde et adhuc diacones dicuntur, id est ministri, quia illis primum ministrabant. Cum enim fidelium cresceret numerus et multe essent huiusmodi mulieres in illa prima ęcclesia, quibus apostoli multis prepediti non poterant sicut prius, ita postmodum ministrare, de suis viduis, quibus ita non ministrabant apostoli sicut aliis, conquesti sunt Greci et contra illos murmuraverunt. Apostoli enim illas viduas pre ceteris, que cum Domino erant, in maiori habebant diligentia et curiosius illis ministrabant. Deinde apostoli, ut omnis cessaret murmuratio, VIItem probos viros elegerunt et religiosos, quorum unus beatus fuit Stephanus, qui curam super viduis susciperent et illis assidue ministrarent, qui et ideo diacones dicti sunt, id est ministri. Postea autem a mensa illarum ad mensam Domini suscepti sunt. Et ideo apostolus, quia diacones et diaconisse tam affine habent officium, vicissime de illis instruit, modo post diaconissas iterum ad diacones rediens, quod dicit oportere monogamos esse, sicut de episcopis dictum est. Et hoc est "diacones sint unius" etc., id est illi, qui ad diaconatum provehuntur, monogami sint. Et item "qui bene presint

[868] Matth. 20,26; 23,11; Marc. 10,43 [869] 1 Tim. 4,14

filiis", id est, qui bene regant filios suos et bene domui sue disponant.

"Qui enim bene". Et bene dixi: Qui bene presint, quia "qui bene ministraverit", id est, qui domesticis rebus bene providerint, "adquirent bonum gradum", id est promovebuntur ad ministerium utile multis et ad gradum digniorem. "Et multam fiduciam in fide", id est bonam de se prestabunt existimationem, quid videlicet aliis de se sperandum est, quod, cum in re minima fideles fuerint, erunt etiam fideles in maiori. Et hoc ea fidelitate, quam Christus approbat. Et hoc est "in fide, que est in Christo", id est quam fideliter in Christo ministrabunt.

"Hec tibi". De multis iam eum instruxit, de quibus, quare instruxerit, antequam se presentem prebeat, causam assignat, ut videlicet, si moram fecerit,[a] intelligat, qualiter in ęcclesia Dei interim conversetur. Et hoc est: "hec", que videlicet dicta sunt, "scribo tibi sperans", id est, etsi sperem me ad te venturum in proximo, quia, "si tardavero", id est moram fecero, ideo scribo, "ut" videlicet "scias", id est intelligas, "quomodo" videlicet interim "oporteat" etc. Et que sit domus ista vel quanta, ad commendationem illius supponit, ut, quanto domus ista est[b] dignior, tanto ipse in eius amministratione sit sollicitior. Et hoc est "que" videlicet domus est[c] "Ecclesia Dei", id est congregatio fidelium in Deo fundata,[d] "vivi", ad differentiam falsorum deorum, in cuius videlicet manus, ut alibi dicit apostolus, horrendum est incidere,[870] quia potens est se et suos vindicare.

Ecclesia, dico, "columna et firmamentum", id est firma columna ad omnem adversitatem tolerandam propter veritatem, id est propter Christum, qui veritas est. "Et magnum sacramentum", id est magnum visibile signum maxime pietatis, quam Deus mundo exhibuit de congregandis gentibus ad fidem, que aliquando longe erant, quia, cum primum

[a] si moram fecerit] *inter lineas* [b] est] *supra* sit [c] est] *inter lineas.* [d] id est—fundata] *inter lineas*

[870] Hebr. 10,31

Deus in Judea notus esset, nunc per misericordiam suam ad ecclesiam vocans gentes universo mundo cognitus est.

"Quod manifestatum", id est prefiguratum est, "in carne", id est in carnali copula nuptiarum. Coniugium enim maris et femine matrimonium Christi et ęcclesie, ubi alii sumus de carne eius, alii de ossibus illius, prefiguravit. Et, ne videretur, quod matrimonium prefiguratum carnale esset,[a] quemadmodum matrimonium prefigurans, supponit: "iustificatum est in spiritu", id est in donis spiritalibus, fide videlicet, spe et caritate, que hominem iustificant.

"Apparuit angelis", id est angelis etiam revelatum est, quos illa Dei de conversione gentium misericordia diu latuit, donec videlicet in re ipsa completa fuerit, sicut et prophetas preter paucos fortasse, quibus Deus hoc consilium sue dispositionis et immensitatem pietatis de gentibus adhuc convertendis revelaverit.

"Predicatum est in gentibus", id est per apostolum annuntiatum gentibus, quod videlicet Deus tantam misericordiam illis exhibuit, ut de illis ęcclesiam suam repleret. Et quia posset predicari et non recipi, subnectit: "et creditum", id est ab universo mundo receptum est.

"Assumptum est", id est cotidie manutenet Deus hanc domum suam, ut tandem eam ducat in gloriam.

---

[a] esset] *inter lineas*

[Cap. 4]

"Spiritus autem manifeste". Ad superiora respicit, acsi diceret: Dixi, ut scias, quomodo oporteat te conversari in ecclesia Dei, et est necesse propter instantes tribulationes, quia videlicet "Spiritus" Sanctus, qui non mentitur, "manifeste dicit", id est michi revelat, quia adhuc multi devolabunt a fide et surgent contra ęcclesiam, ut eam impugnent. Cuius tribulationes et pressure multo erunt maiores, quam fuerint in initio, quando videlicet christiani inceperunt, qui adhuc erant non populus, sed popellus quidam, in quibus nondum habundabant ita heretici sicut postmodum, cum totus mundus ad fidem[a] confluxerit. Quippe quanto plus de messe colligitur, tanto amplius de palea reperitur. Et hoc est, "quoniam in novissimis diebus", id est in extremis temporibus, "discedent", id est devolabunt, quidam "a fide" ęcclesie "attendentes spiritibus erroris", id est nequem spiritibus, qui semper presto sunt errorem homini suggerere. Quod exponit dicens: "et", pro id est, "doctrinis", id est pravis dogmatibus diabolicorum hominum, pseudo videlicet apostolorum,[b] "in ipochrisi", id est in falsa religione, "loquentium", id est persuadentium, "mendacium", id est perversa documenta et omnino falsa. Illorum, dico, "habentium suam conscientiam cauteriatam", id est corruptam. Cauterium autem dicitur ferreum quoddam instrumentum, quo ad limbos variandos pelles decorticantur. Cauteriatam ergo conscientiam habent, quia sicut cauterio sumitas pellis removetur et corrumpitur, ita et fidem, que primum donum est[c] et fundamentum omnium, habent corruptam et violatam.

"Prohibentium". Ecce mendacium, cum videlicet prohibeant nuptias dicentes, quia in matrimonio nemo poterit animam suam salvare.

---

[a] ad fidem] *inter lineas* [b] eorum hominum—apostolorum] *in margine* [c] est] *inter lineas*

Item, "abstinere a cibis", propter legem videlicet, sicuti a porcina carne et aliis multis, que lex immunda iudicat. "Quos", videlicet cibos, "Deus creavit ad percipiendum", id est ad sumendum. Et hoc "cum actione gratiarum". Secundum enim apostolicam preceptionem nullus cibus a fidelibus sumendus est, pro quo Deo gratias non agant, in quo se Deo subditos esse et, quod habent, a Deo habere recognoscant.

Ad percipiendum, dico, "fidelibus et", pro id est, "his, qui cognoverunt veritatem", istam videlicet, quod nullus cibus, sed solus contemptus, qui in mente est,[a] contaminat hominem vel indigniorem apud Deum reddit, sicuti Judei astruunt, qui, si porcum tetigerint etiam inscii vel leprosum, ut aiunt, salvari non possunt, nisi ex toto abluantur aqua. Cognoverunt, dico, hanc veritatem, quia videlicet "omnis creatura Dei bona", id est munda est, "et nichil reiciendum", id est nullus cibus propter legem reiciendus est christiano. Iuxta quod apostolis veritas dicit: [In eadem autem domo manete] edentes et bibentes, que apud illos sunt.[871] Non enim bufo comedendus est, qui non est cibus homini creatus, nec aliquid huiusmodi, quod humano corpori nocivum est. Beatus tamen Ambrosius[872] aliter exponit: Nichil enim, inquit, reiciendum est, quin ad cibum vel ad medicamentum precipiatur. Veluti allia, cum non sint, inquit, ad cibum, sunt utique ad medicinam. Longobardus enim erat et more gentis sue allia omnino abiciebat ad esum.

Nichil reiciendum, dico, "quod percipitur", id est sumitur, "cum actione gratiarum", id est Deo agendo grates de beneficiis suis.

"Sanctificatur enim". Et vere nichil refutandum, quod ita sumitur, quia cibus ita sumptus "sanctificatur", id est percipitur sine offensa Dei per benedictionem et gratiarum actionem, que Deo redduntur. Qui cibus sine actione gra-

---

[a] sed—est] *inter lineas*

---

[871] Luc. 10,7 [872] Cf. Ambrosius, *Hexaemeron lib.* 3 c. 9 n. 39 (PL 14,184C sq.).

tiarum cum offensa sumeretur, cum nobis non liceat sine actione gratiarum comedere.

"Hec". Instructionem suam comendat apostolus ostendens, qualem habebit effectum in ipso dicens: "Hec", id est hanc doctrinam, quam iam dixi tibi "proponens", id est constanter predicans, "fratribus eris bonus", id est fidelis, "minister Christi Jhesu". Tu, dico, "enutritus", id est semper educatus ab infantia, in "verbis fidei", id est in sacris verbis, que
155v ad fidei predicationem spectant. Quod exponit dicens: || "et", pro id est, "bone doctrine", id est ewangelice doctrine, quam gratia Dei "assecutus", id est adeptus es.

Et ideo "ineptas" etc., id est omnino fuge frivola et fabulosa verba, quibus senes maxime vacant, quia propter laboris impatientiam, ut aliquid faciant, super modum otiantur in verbis.

"Exerce". Thimotheus iste, quem instruit, circa opera manuum multum occupatus erat. Nunc apostolus, quia infirmus erat et ut sollicitius suo intendat officio, rogat, ut ad pietatem habendam id est caritatem, que ad omnia valet, tam videlicet ad bona corporalia quam spiritalia ex toto animum inclinet et a labore manuum sibi parcat. Corporis enim exercitatio, etsi ad victum habendum valeat, sine ea tamen homo salvari potest. Et hoc est "exerce te", id est ex toto animum tuum inclina, "ad pietatem", id est ad habendam caritatem, que sufficit, non multum circa exteriora occupatus. Quia "corporalis exercitatio", id est exterior operatio, "ad modicum utilis", quia, etsi ad victum habendum[a] valeat, et, ut habeamus, unde necessitatem patienti tribuamus, sine illa tamen homo salvatur per pietatem. "Pietas" illa ad modicum utilis est, sed "pietas", id est caritas, "ad omnia", id est tam corporalia bona quam spiritalia, vel "ad omnia", id est perveniendum ad Deum, qui finis omnium est, et in quo consumari debemus tanquam in fine nostro, qui finis omnium, quecumque facimus, a nobis statuendus est. Pietas, dico, "habens promissionem vite, que nunc est", id

---

[a] habendum] *add. et del.* habeat

est presentibus bonis utens, quia non vidi iustum derelictum nec semen eius querens panem. Et tandem fruens eternis, de quibus dicitur, quia nec oculus vidit nec auris audivit, que Deus preparavit diligentibus se.[873]

Item "sermo", quem videlicet iam supponam, "fidelis", id est talis, cui fides adhibenda est. Quod exponit dicens: "et omni acceptione dignus", id est ab omnibus credi dignus.

"In hoc enim". Ecce sermo fidelis, quia videlicet cotidie "laboramus" propter Christum docendo, exortando, et tamen "maledicimur" ab hominibus, qui habent nos[a] pro insanissimis "in hoc", id est propter hoc, quia videlicet bona ista presentia, que adeo delectabilia videntur, contempnimus, et ad illa bona invisibilia, que numquam vidimus, hanelamus. Et ideo ab illis reprehendimur ita, ut de nobis dicant: Ecce stulti et idiote, qui, quem Deum habent, nesciunt, a quo bona, que a nemine visa sunt, expectant. Nos hic et bonis utimur presentibus, et Deum, quem etiam monstrare possumus, habemus. Unde quidam illorum statuam luscam ostendens, quam pro Deo habebat, ait, quia melius est[b] Deum cecum habere quam nullum. Et hoc est, quia videlicet "speramus in Deum vivum", non in idola, ut illi, que muta sunt et surda, quia os habent et non loquentur, aures habent et non audient.[874] "Qui", videlicet Deus, "salvator" etc., id est qui salutem confert omnibus hominibus, maxime tamen fidelibus, sive corporalem sive etiam ęternam. Salvator enim pro benefactore accipitur. Unde ad Joseph fratres eius: Salvator noster es.[875]

Et "hec", que dicta sunt, "precipe et doce", id est sub precepto etiam doce alios. Et ego, cum tu sis adolescens, precipio, "ut" videlicet "nemo" subditorum tuam "adholescentiam contempnat", id est vilependat, quia tu, Daniel, senes iudicabis.

"Sed exemplum". Nemo contempnat, precipio, sed tu ipse,

---

[a] nos] *inter lineas* [b] est] *inter lineas*

---

[873] 1 Cor. 2,9 [874] Psalm. 113,5sq. [875] Potius Pharao dedit Joseph nomen salvatoris mundi. Gen. 41,45

ut digna sit preceptio, non solum, dico, declines a malo, imo etiam ita vivas, ut alii in omnibus exemplum bene vivendi a te accipiant. Et hoc est "sed esto", id est ita vive, ut ipse sis bonum exemplar fidelibus ad imitationem. Et hoc "in verbo", id est, ut sciant exemplo tui, quomodo etiam alios instruant. Item "in conversatione" honesta, que doceat christianos. Item "in caritate", ut sincere Deum diligant.[a] Item "in fide", ut bene credant nichil heretice sapientes. Item "in castitate", ut sobrii sint in potu et cibo, quia superfluitas cibi et potus hominem ad luxuriandum efficit proniorem.

"Dum venio". Diceret: Et quomodo ad omnia hec sufficiam ego nisi te presente? Ecce quomodo: "dum venio", id est interim donec veniam, "attende lectioni", ubi te ipsum instruere poteris, et inde etiam alios docere, alios exortari. Et hoc est, quod supponit "exortationi doctrine". Doctrina autem proprie ad eos est, qui nondum viam, quam teneant, cognoscunt. Exortatio vero ad illos, qui via cognita, ut eam velint sequi, movendi sunt.

Item "noli negligere", sed esto sollicitus et viriliter exerce "gratiam", id est ministerium tuum, quod tibi gratis datum est, quod nec ego vendidi nec tu emisti. Ve ergo episcopis, qui emunt; ve principibus, qui vendunt officia ista.

Gratiam, dico, "que in te est". Quod exponit "que data est tibi". Et merita, cum non solum te vita comendet, sed etiam exponere scripturas sacras sufficias et interpretari, quod ad prelatum spectat ęcclesie. Et hoc est "per prophetiam", id est propter expositionem et interpretationem sacrarum scripturarum, in quibus semper nutritus es. Prophetia enim sepe pro interpretatione sacre scripture ponitur. Unde et prophetare interpretari dicitur, ut supra apostolus: Nam, qui prophetat, hominibus loquitur.[876] Et iterum: Potestis enim per singulos prophetare.[877] Vel "per prophetiam", id est per divinam inspirationem, et hoc "cum impositione ma-

[a] diligant] digant

[876] 1 Cor. 14,3 [877] 1 Cor. 14,31

nuum presbiteri", quia in ordinatione episcopi plures oportet adesse episcopos.

Et "hec", que dicta sunt, "meditare", id est assidue volve in animo. Et "in his" proficiendo "esto". Ita etiam, "ut profectus tuus omnibus manifestus", id est notus sit, ut et illi te imitentur, quia non debes tibi vivere, sed et utilitati omnium. Et ideo non solum "attende tibi", id est, ut te ipsum instruas, sed etiam attende "doctrine", id est, ut alios doceas. Et hoc est "insta in illis", id est cum magna diligentia de illis, que dicta sunt, cogita. Et merito, quia "faciens hoc", id est attendendo tibi et aliis, "et teipsum" etc., id est et tu ipse salvaberis et illi, qui tibi obediunt.

[CAP. 5.]

"Seniorem". Dixit: Insta in illis. Qualiter instandum sit, docet per singulos gradus etatis, ut et ipse, ut paulo ante dixit, in verbo etiam sit exemplar fidelium. Et hoc est: "Seniorem" etc., quasi dicat: Singulos secundum etatis qualitatem instrue, ut semper eo modo doceas, quo uniuscuiusque etas requirit. Et hoc "in omni castitate", id est tam exteriori quam interiori.

"Viduas", acsi diceret: Et inter istos maxime "viduas honora". Non dicit solum de honore exteriori, sed et de amministratione temporalium. Iuxta quod dicitur: Honora patrem et matrem.[878] De eodem inferius apostolus: Dupplici honore digni sunt.[879] "Que". Quasi dicat: Et inter viduas illas precipue honora, "que vere sunt vidue", id est quibus non solum maritus defunctus est, sed et mundus, quem iam ex toto propter Deum reliquerunt.

"Si qua autem". De viduis dat hic quoddam consilium, quod videlicet, si qua parentes habet, qui adhuc egent illius[a] amministratione et quorum cura ad ipsam spectat, non recipiatur in ęcclesia, sed[b] presit filiis suis sive nepotibus et eos nutriat et vicem ipsam, que ei ipsi a patribus exhibita est, parvulis suis primum[c] reddat.

Continuatio: Dixi: Viduas honora, sed tamen, "si qua", videlicet vidua, "filios aut nepotes habet", laudo, ut ipsa primum quam videlicet in ecclesia recipiatur, "discat regere", id est preesse sue domui, "et mutuam vicem" etc., id est tamquam illis recompensare, quod et ipsa primum a patribus nutrita fuit.

---

[a] illius] *inter lineas* [b] non—sed] *inter lineas* [c] primum] *inter lineas*

---

[878] Exod. 20,12 [879] 1 Tim. 5,17

"Hoc enim". Discat, dico, et bene, quia "hoc acceptum", id est, quod ipsa adhuc presit parvulis suis, Deus approbat.

"Que autem". De illa, que filios habet, id laudo. Sed "que vere vidua est et desolata", id est, cui mundus mortuus est ex toto et filii sive nepotes omnino defuncti sunt, de ista volo, ut recepta in ęcclesia "speret in Deum", id est fiduciam habeat in Deum, "et instet", id est instanter vacet, "obsecrationibus", pro se, "et orationibus", pro aliis, et hoc "nocte ac die", et ecclesia inveniat illi omnia necessaria.

"Nam". Huiusmodi, inquam, speret in Deum, quia illa, que "in deliciis est vivens", id est, que superflue vivit, "mortua est" in peccatis.

"Et hoc", id est propter hoc, "precipe", ut videlicet ille maxime,[a] que vere sunt vidue, "irreprehensibiles sint", id est non faciant quicquam, unde argui possint et per eas ęcclesia Dei diffamari.

"Si quis autem". De illis autem viduis, que habent filios vel nepotes, commendat apostolus, ut de suis curam habeant, que in rei veritate habenda est, quia, "si quis non habet curam suorum", id est, si quis non inclinatur ex amore ad habendam curam de suis et maxime de domesticis, veluti apostolus dicit: Maxime autem ad domesticos fidei,[880] "fidem negavit". Non dicit de catholica fide, sed tale est, acsi diceret: Fidem negavit, id est iam fecit alios de se minus confidere. Si enim animus non inclinat eum ad providendum illis, ad quos cura ipsius specialiter spectat, parum confidetur de illo, ut de aliis videlicet curam accipiat, ad quos cura illius non ita pertinet. "Et" ille talis "est deterior", id est nequior, "infideli", id est quolibet etiam sarraceno. Quippe si caritas non illum inclinat ad curandum de illis, ad quos etiam natura eum trahit, et dictat, ut de illis cogitet, longe illum deteriorem quolibet infideli existimandum esse non dubito.

---

[a] maxime] *inter lineas*

---

[880] Gal. 6,10

Queritur,[175*] an pater carnali affectu diligendus est.
Ita, inquit.

Sed obicitur, quod cum carnali affectu dilectio Dei esse non potest. Super illum locum enim ewangelii, ubi legitur: Nisi quis dixerit patri suo vel matri: nescio vos, non est dignus regno Dei;[881] exponunt sancti hec verba hoc modo: Nisi, videlicet qui ex toto carnalem abiecerit affectum, non est dignus.

Philosophus: Hunc, inquit, sanctum nec intelligo in his verbis expositorem, nisi id velit dicere, quod hominem hoc[a] non tam pro carnali affectu quam propter Deum facere conveniat. Convenit tamen, ut patrem et matrem carnali etiam affectu diligamus. Non enim sine causa dictum est: Honora
156r patrem et matrem, || ut sis longevus super terram,[882] quod mandatum, ut dicit apostolus, in promissione primum est. Dominus autem, quod ita in lege preceptum fuit, suo etiam exemplo postmodum complevit. In cruce enim positus cum de vita ista transiens videret matrem suam ante se, discipulum, quem diligebat, quasi alterum filium illi substituit procuratorem dicens: Mulier: ecce filius tuus; ad discipulum autem: Ecce mater tua.[883] Aliis vero sacris mulieribus nullum deputavit nec Petrum nec alium, qui eis provideret. Super illum locum dicit Jeronimus:[884] Hic nobis a Domino moralis traditur locus, ut videlicet maiorem affectum habeamus erga parentes quam erga alios.

Queritur, cum pater maiori affectu complectendus est, an pre ceteris omnibus diligendus sit ea dilectione, de qua dicitur: Dilige proximum tuum sicut teipsum.[b][885]

---

[a] hoc] *inter lineas* [b] ea dilectione—ipsum] *inter lineas et in margine*

---

[881] Luc. 14,26 [882] Exod. 20,12 [883] Joh. 19,26 sq. [884] Cf. Epistola 127 n. 5 (PL 22,1090); *Commentariorum in Ezechielem lib.* 13 c. 44 (PL 25,442); *Commentariorum in Evangelium Matthaei lib.* 1 c. 10 (PL 26,70). [885] Matth. 19,19; 22,39; Marc. 12,31

[175*] Ad hanc et sequentem quaestionem cf. *Sent. Rol.*, 314

Nequaquam,[176*] inquit. Unusquisque enim in dilectionem pensandus est iuxta dignitatem, quam apud Deum habet, ut semper, ut supra meminimus, meliores plus diligamus, id est velimus eis melius esse in regno Dei quam ceteris. Erga patrem ergo minorem dilectionem habere debeo quam erga istum religiosum, qui multo melior est, id est melius debeo velle huic religioso esse in regno Dei quam patri meo. Sed tamen, quod minus volam, maiori affectu complectar, quam quod magis volam. Sepe enim circa minora et que minus volumus fieri, maiorem affectum habemus quam circa maiora.

Quod autem obicitur de verbis veritatis, qui, cum eum quererent, ait: Quicumque fecit voluntatem patris mei, hic pater, hic mater, hic soror est,[886] tale est, acsi dicatur: Erga istos summum affectum habeo. Sed summum, intellige, respectu inferioris affectus, qui naturalis est. In illo enim summo affectu, quem spiritalem appellamus, hos pre illis amplecti debemus. Sed attende, quod in epistola ad Ephesios contra ista in parte dixisse videmur.

"Vidua". Redit ad viduas illas, que in diaconissas promovende sunt, docens, quot annorum vidua ad hoc eligi debeat et qualem esse oporteat, ut in ministerio ęcclesie preficiatur. Et primum de electione dicit. Et hoc est "vidua" in diaconissam videlicet "eligatur non" etc., id est ad minus tot annos habens. "Que", videlicet vidua, "fuerit unius viri uxor", illa eadem de causa, que de episcopo assignata est, ne videlicet, si duos habuerit viros, illius notetur maior incontinentia. Vidua, dico, "habens testimonium", id est famam, "in bonis operibus". Que bona exponit opera dicens: "si" videlicet "filios educavit", id est bene nutrivit, "si hospitio recepit", id est, si hospitalis fuerit. Quod et supra de episcopo dictum est. "Si sanctorum pedes lavit", id est

---

[886] Matth. 12,50

[176*] Cf. Abaelard., *Expositio in epistolam Pauli ad Rom., lib.* 5 c. 13 (PL 178,948D sq.); *Sent. Herm.*, c. 32 (PL 178,1748D sqq.); *Sent. Rol.*, 319 sq.

abluit. Quod opus maximam premonstrat humilitatem. "Si subministravit" non lecatoribus, sed sanctis viris propter Deum in tribulatione positis. Et hoc est "patientibus tribulationem," id est patienter propter Deum quascumque pressuras sustinentibus. Et quid irem per singula, "si omne bonum opus subsecuta est", id est fecit. Sed omne, ut beatus dicit Jeronimus,[887] non semper ad singula refertur, sed ad maiorem partem significandam sepe ponitur.

"Adolescentiores". Quasi dicat: Viduam tot annorum in ministerio ęcclesie eliges, sed minores ad hoc promovere refutabis. Et hoc est "adolescentiores", id est iuniores "viduas", que videlicet adhuc calide sunt et prone in libidinem, "devita", ne videlicet eligas in ministerium. "Cum enim". Dixi: Devita huiusmodi, et ideo, quia videlicet, "cum luxuriate fuerint", id est, cum superflue vixerint in suis videlicet domibus, non adhuc in ministerio ęcclesie posite, tandem libidine commote "volunt in" etc., id est cum aliquo christiane professionis volunt matrimonium contrahere, non cum iudeo vel sarraceno. Tale est illud supra: Nubat in Domino.[a888] Et ita sepe "habentes dampnationem", quia videlicet "primam fidem irritam fecerunt", id est primum votum fecerunt irritum, id est pactionem illam, quando se Deo voverunt ad continentiam servandam.

Solebant quidam, de quorum numero erat Gilebertus universalis,[b889] ex hoc loco astruere, quod si monialis vel monachus post votum etiam ducat uxorem, coniugium est, ad hoc inducentes beatum Augustinum,[890] qui scribens ad Julienam

[a] non cum—Domino] *inter lineas et in margine* [b] de—universalis] *inter lneas*

[887] *Comment. in epist. ad Ephesios lib.* 1 c. 1 (PL 26,493) [888] 1 Cor. 7,39 [889] De hoc Gilberto cf. B. Smalley and G. Lacombe, "The Lombard's Commentary on Isaias and other fragments," *The New Scholasticism.* V, (1931), 125 nota 7. Cf. ulterius B. Smalley, "Gilbertus Universalis, bishop of London (1128-34), and the problem of the 'Glossa ordinaria'," *Recherches de théologie ancienne et médiévale.* VII (1935) 235-262; VIII (1936) 24-60. [890] Augustinus, *De bono viduitatis* c. 10 (PL 40,438); Gratian, *Decretum* Pars 2 Causa 27 c. 41 (E. Friedberg, Corpus Iuris Canonici I [Leipzig, 1879] 1060 sq.

dicit de nubente quidem post votum, ut videlicet post votum de voto fracto penitentiam agat et coniugium non dissolvatur. Auctoritas autem ista beati Augustini ad privata spectat vota. Veluti si aliquis proponat in animo suo spondens Deo, quod propter ipsum continebit et postea nubat, coniugium est, quod non licet dissolvi, sed ipsa de voto tenetur rea, de quo postmodum penitentiam agat. Si vero puplice voverit quis sicuti monachi vel monache, non erit coniugium, si post votum puplicum uxorem duxerit. Unde beatus Gregorius,[891] cum quidam monachi in tantum excesserint, quod uxores ducerent, cuidam, ad quem scribit, precipit dicens: Unde, si quosdam huiusmodi inveneris, redde eos claustris suis. Quod utique nequaquam preciperet, si matrimonium esset.

Queritur autem, quid sit facere contra votum.

Ad quod nonnulli dicunt: Non facere, quod promittitur. Sed hoc omnino falsum est, si pro diffinitione[a] accipitur. Quippe si aliquis promitteret se ad aliquam religionem, deinde si laxiori vita postposita, ad quam se vovit, ad perfectiorem transeat, non frangit votum, cum tamen, quod promisit, non faciat.

"Simul autem". Aliud supponit, quare nolit adholescentiores[b] viduas in ministerio eligi.

Continuatio. Non solum in voto excedunt, sed etiam similiter "otiose", id est vacantes otio. "Discunt circuire", id est cum magna diligentia circumeunt, "domos", id est discurrunt per domos aliorum. "Loquentes" ibi "non solum otiose", id est non solum ea, que ad otium spectant et in risum vanitatis hominem commovent, sed etiam "verbose", id est contentiose, et hoc "curiose", id est cum magna sollicitudine, tamquam inde magna sequeretur utilitas. Loquentes, dico, ea, "que non oportet", id est que non convenit.

Et propter huiusmodi "volo", id est consulo, ut videlicet ille "iuniores", id est adholescentiores, nubant, filios, procreent,

---

[a] diffinitione] diffitione [b] adholescentiores] adholentiores

---

[891] *Epistolarum lib.* 1 Indict. XI epist. 42 (PL 77,495).

sint matres familias et ita nullam dent occasionem "adversario", id est cuilibet inimico Christi, "gratia", id est causa "maledicti", id est[a]

"Iam enim". Diceret aliquis: Quare sic de istis loqueris? —Quia videlicet ego ipse expertus sum, quales sint huiusmodi, et experto credendum est, quia iam "quedam" de numero talium "converse" etc., id est Christum reliquerunt et satanam secute sunt.

"Si quis". Aliud item de viduis dicit apostolus. Quia enim sciebat, quod ecclesia non poterat omnibus viduis sufficere, rogat, ut ille probi viri et fideles, apud quos manent et quorum cura ad illos spectat, illis subministrent, ut bona ęcclesie, que tunc pauper erat, veris viduis sufficiant,[b] id est illis, que et a mundo et a parentibus desolate sunt. Et hoc est "si quis fidelis habet" apud se viduas, de bonis suis illis ministret. "Et" ita "non gravetur ecclesia" in illis, "ut" videlicet "sufficiat his" etc., id est illis, quibus mortuus est maritus et mundus.

"Qui bene". Post viduas de presbiteris etiam dicit, ut videlicet illi dupplici habeantur digni honore, id est exteriori reverentia et necessariorum administratione, ut subiecti, quibus presunt, et eos reverentur et, que oportet, amministrent. Et hoc est "qui bene presunt presbiteri", id est, qui ęcclesiam Dei bene custodiunt instruendo subditos eo modo, quo convenit, "habeantur digni duplici honore", id est reverentia, ut nullus eis resistat, et aministratione, ut, quibus indigent, eis ministrentur. Et "maxime", id est precipue, illi habeantur duplici honore digni, qui videlicet "laborant in verbo", id est in predicatione, que est ad doctrinam et edificationem aliorum. Quod maxime ad episcopos pertinet, quorum est docere, exortari.

"Dicit enim". Inducit testimonium scripture ad ostendendum, quod necessaria predicatoribus sunt providenda.

Continuatio: Et vere, qui laborant, digni sunt, quia "dicit", id est testatur, "scriptura", quod videlicet "non infrenabis"

---

[a] "maledicti" id est] *sequitur vacuum unius verbuli* [b] sufficiant] sufficiat

etc. Per bovem triturantem, cui dicit scriptura os non esse infrenandum,[a] bene predicator significatur, quia, sicut bos terram sterilem arando aperit et fructiferam reddit, ita predicator vomere sue predicationis corda dura et sterilia scindit et facit mollescere et Deo fructificare. Huic autem non est os claudendum, sed necessaria debent ministrari, quia, ut alibi dicit apostolus, cum spiritalia seminamus, non est magnum, si carnalia metamus.[892] De bove autem, si ad litteram intelligeretur, sepissime falleret, quia bovi, per quem in quibusdam terris messes triturantur, frequenter os infrenatur et clauditur, ne plus noceat comedendo quam prosit triturando. Et "operarius" quicumque "dignus est mercede sua", id est, ut ad presens hanc mercedem recipiat. ut videlicet necessaria ei ministrentur.

"Adversus". Aliud capitulum de presbitero, quod videlicet non sit audiendus aliquis in accusatione ipsius, nisi IIIes vel duo adhibeantur testes. Nec dicit apostolus, quod de convincendo presbitero non sit admittendus, nisi se tertio vel ad minus secundo, sed nec in || accusatione. Et debet dicere 156v episcopus: Frater, propter te solum non vocabo presbiterum. Et hoc est "adversus", id est contra, presbiterum etiam[b] "accusationem" alicuius "noli recipere", nisi sub testimonio duorum vel trium.

"Peccantes". Peccantem vocat non eum, qui semel vel bis peccat, sed qui in peccato perseverat et publice in fratrem peccat. Istos rogat puplice arguendos esse, ut ceteri timeant et ita resipiscant. Nec est contra illud, quod veritas dicit, cum ait: Si peccaverit in te frater, corripe eum inter te et illum solum.[893] Hoc enim dictum est[c] de illis, qui, etsi in fratrem peccent, nondum tamen peccant in ecclesiam, de quibus hic loquitur. Homo autem quandoque in se peccat, quandoque in fratrem. In se peccat, quamdiu peccatum in mente latet nec foris exhibetur, ut alios exemplo corrumpat. In fratrem vero, quando foris exhibet ita, quod fratrem malo exemplo corrumpere possit. In ęcclesiam etiam peccat,

---

[a] infrenandum] *add.* esse   [b] etiam] *inter lineas*   [c] est] *inter lineas*

---

[892] 1 Cor. 9,11   [893] Matth. 18,15

quando ita publice excedit, quod non unum solum, sed et totam ęcclesiam suo exemplo, quantum in se est, corrumpit. Veluti ille, qui novercam duxerat, de quo supra: Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit;[894] qui quemadmodum puplice peccavit, ita et publice correctus est ab apostolo. Et de talibus dicit: "peccantes", id est in peccato puplice[a] perseverantes, "coram omnibus", id est puplice "argue", id est castiga, "ut ceteri" etc., id est saltem timore ab obstinatione sua resipiscant, vel caveant sibi, ne in obstinationem veniant.

"Testificor". Iam de multis illum instruxit apostolus, quem nunc sacramento constringit, ut ea, que dicta sunt, firmiter custodiat. Et hoc est "testificor", id est adiuro te, acsi diceret: Deus, qui iudicare venturus est, vindicet, nisi tu preceptis meis obedieris. Et hoc est "testificor", id est contestor, ut videlicet, sicut in adventu Domini, qui erit cum omnibus electis in die illa, confidis, ita "custodias", id est firmiter serves, "hec", videlicet que dicta sunt, quorum te custodem feci. Tu, dico, "nichil faciens", id est agens, "declinando in alteram partem" magis quam in alteram "sine preiudicio", id est sine prediscussione diu ante habita. Non enim hic preiudicium malum significat iudicium, sed tale est, acsi dicatur: Nichil faciens, quin prius examines et diu ante discuscias, an ita faciendum sit necne.

Et quia nichil sine preiudicio facies, ideo "nemini", id est nulli, "cito", id est inconsiderate, "manus imposueris", id est nullum in ordinem promovebis sine magna consideratione, ubi videlicet eum precognoveris ad hoc sufficere. "Neque communicaveris", id est non communices, id est consentias peccatis aliorum, sed in omnibus "te ipsum castum", id est immunem ab omni contagio, "custodi", id est serva, ut semper in castitate, id est in vite integritate, permaneas, de qua supra: Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.[895]

"Noli adhuc". Iste Thimotheus volebat, cum esset infirmus,

[a] puplice] *inter lineas*

[894] Gal.5,9 [895] 2 Cor. 11,2

a vino tamen abstinere exemplo apostolorum, qui omnino a vino abstinebant, nisi causa hospitum, ad quos veniebant, ne illos contristarent, iuxta illud Domini: In quamcumque domum intraveritis, edite et bibite, que apud illos sunt.[896] Quia ergo infirmus erat iste, consulit apostolus, ut aquam nondum bibat, sed vinum propter crebras eius infirmitates, ut ita ipse, qui medicus est anime, sit medicus et corporis. Et hoc est "noli adhuc aquam bibere", que videlicet noceret stomacho, "sed utere vino modico", id est modice sumpto, quod parum attendunt episcopi vel etiam abbates, qui non solum ad satietatem, sed et ad ebrietatem sumunt. Et hoc "propter stomachum tuum" etc., id est propter assiduas infirmitates, quas frequenter pateris in stomacho.

"Quorumdam". Ad duo, que dixerat, duo refert. Ad hoc enim, quod dixerat: Peccatores argue, subiungit: quia quorumdam palam sunt peccata. Ad hoc vero, quod subiunxit: sine preiudicio nichi faciens, annectit: quia quorumdam occulta sunt adhuc, in quibus necessarium est preiudicium, id est precedens discussio.

Continuatio: Et bene dixi: Argue, quia "quorumdam hominum peccata", id est culpe manifeste sunt, que non oportet examinari, quia etiam precedunt ad iudicium, id est de se prebent iudicium. Et hoc est[a] "precedentia ad iudicium".

"Quorumdam". Acsi diceret: Et bene dixi: Sine preiudicio nichil faciens, quia "quorumdam" etiam peccata, etsi nondum sint manifesta, "subsequuntur" tamen per examinationem.

"Similiter". Idem de bonis ostendit, quorum quedam[b] cognita sunt, quedam non.

Continuatio: Non solum ita se habent mala, sed et "similiter bona facta", id est bona opera, "manifesta sunt", id est cognita sunt. Et iterum ea bona, "que aliter se habent", id est, que nondum cognita sunt, "abscondi" tamen, id est occultari, "non possunt", si bene discutiuntur, quia nichil occultum, quod non reveletur.

---

[a] est] *inter lineas* [b] quedam] *add.* sunt

---

[896] Luc. 10,7

[Cap. 6]

"Quicumque" etc. Post episcopos, diacones et viduas de servis etiam instruit precipiens, ut dominis suis sint obedientes, sive sint fideles sive infideles, quia, ut ipsa veritas dicit: Reddite, que sunt Cesaris Cesari, et, que sunt Dei, Deo.[897] Et hoc est "quicumque sunt sub iugo servi", id est servitute tenentur, "arbitrentur", id est iudicent, "dominos" suos "dignos omni honore", id est, ut quemadmodum in verbis monstrant, ita etiam in corde habeant. Et propter hoc saltem arbitrentur, "ne" videlicet "nomen" etc., id est ne infideles blasphement nomen Christi et doctrinam eius dicentes: Mala est ista christianitas, que nobis servos nostros emancipat. Et ideo, ut omnis occasio removeatur blasphemandi nomen Domini, si etiam habuerint fideles dominos, tanto amplius eis serviant et libentius obediant, cum et ipsi sint fratres quasi duplici vinculo constricti. Et hoc est etiam "qui habent fideles dominos, non contempnant", id est non spernant illos, quia etiam "fratres" sunt in Christo. Sed tanto libentius "serviant", id est obediant, quia videlicet "fideles", id est fidem eandem habent, "et dilecti" a Christo et invicem. Quod exponit "qui participes sunt beneficii", id est, qui eodem beneficio divino per Christum participant, per quod tandem salventur.

"Hec". Item ad ipsum redit rogans, ut et hec, que dicta sunt, et doceat et aliis exortetur. Et hoc est "hec", que videlicet iam dixi, "doce" ignorantes et "exortare" scientes. Et debes, quia sana doctrina est.

Et ideo, "si quis aliter docet", id est, si aliquis vult aliam doctrinam plantare et non adquiescere "sermonibus Domini nostri Jhesu Christi sanis", id est, qui ad veram sanitatem ducunt. Quod reprobat dicens: "et ei doctrine, que secundum pietatem", id est, que tota in amore consistit. Ille, in-

[897] Matth. 22,21; Marc. 12,17; Luc. 20,25

quam, talis "superbus", id est ex superbia inobediens, "nichil" tamen "sciens", id est nullam discretionem habens. Quod ostendit dicens: "sed languens circa" etc. Ille in sermone languet, qui vult videri scire, cum parum vel nichil sciat, pugnando tamen et contendendo ad ostentationem pollicetur, quid mentiatur. In quo tandem et ipse deficit. Et hoc est "sed", tamen, etsi videlicet nichil sciat, "languens", id est occupatus ad ostentationem, ut et ipse tamen tandem deficiat. "Circa questiones et pugnas verborum", id est nichil aliud videlicet querendo, nisi ut in sola verbositate pugnet et contendat.

"Ex quibus" videlicet questionibus "oriuntur" hec mala, que enumerat.[a]

"Hominum", id est pseudoapostolorum, "mente corruptorum", quia intentionem, quam oporteret in illis, que faciunt, non habent, cum propter Deum nichil faciant. Et "qui a veritate", id est a Christo qui veritas est, "privati sunt", id est recisi sunt tamquam membra putrida. "Existimantium", id est iudicantium nos apostolos illud, quod causa pietatis, id est dilectionis facimus, facere lucri causa.

"Est autem". Ita illi dicunt. Sed tamen "questus magnus", id est adquisitio magna, "pietas est cum sufficientia", id est amor sufficiens, qui sibi sufficit, nec etiam, que sua sunt, querit. De quo dicitur: Caritas non emulatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non querit, que sua sunt.[898]

"Nichil enim". Bene dixi: Cum sufficientia, ad quam nitendum est ab omnibus nobis attendendo, quia, quemadmodum nichil in hunc mundum nobiscum tulimus, ita nec || quic- 157r
quam quis secum deferet, quantumcumque hic thesaurizet. Unde Job: Nudus egressus sum de utero matris meę, nudus revertar illuc.[899] Et hoc est, quia "nichil intulimus", id est portavimus nobiscum, "in hunc mundum". Ita etiam "haut", id est[b] non, "dubium" est, quia "nec" etiam nobiscum quid,

[a] enumerat] *sequitur vacuum quartae partis lineae* [b] id est] *inter lineas*

[898] 1 Cor. 13,4 [899] Job 1,21

id est aliquid, "possumus auferre", id est hinc ferre. Et ideo nostram naturam, que paucis contenta est, respiciendo, "habentes alimenta et quibus tegamur", id est victum et vestitum, quod nature satis est, "his", scilicet victu et vestitu, "contenti simus" et super hoc, quod satis est, nichil appetentes, quia, ut dicit Seneca,[900] quod et supra memenimus, ad manum est, quod natura postulat, ad superflua sudamus. Si enim unusquisque, ut dicitur in vulgari proverbio, tantum terre, quantum suum tegeret pallium, singulis diebus, quibus liceret, aperiret, numquam, ut aiunt, deesset ei victus et vestitus.

"Nam qui". Bene dixi: Contenti his, quia videlicet, "qui volunt", id est, qui appetunt, "divites fieri", id est superfluam pecuniam congregare, "incidunt", id est labuntur, primum "in temptationem diaboli" suggerentis eis multa, que cupiant, et ita "in laqueum" illius incidunt, ut ipse eos illaqueet et ad se trahat, vel ut ipsi sint etiam [a] laqueus eius ad capiendum alios exemplo pravo. Et sic tandem obstinati incidunt "in desideria multa", id est in contemptus multos contra Deum per appetitum illum non solum inutilem, sed et nocivum. Qui "mergunt hominem", id est hominem talem precipitant, "in interitum et perditionem", id est in gehennam, ubi est interitus indeficiens.

"Radix enim". Nec mirum, si appetitus ille deicit hominem in tot mala, quia "cupiditas est radix", id est initium et origo, "malorum omnium". Sicut enim unum solum est, quod precipit Deus, id est caritas, ita unum solum est, quod specialiter prohibet, id est cupiditas, que diffinitur consupiscentia superfluorum, que utique exordium ex multorum congregatione trahit.[b] Nemo enim, si numquam multa haberet, tanto animo multa appeteret, quia crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Rex tamen aliquis, etsi multa habeat, aureum, argentum, infinitam pecuniam, non ideo superflua aliqua habet, cum et ipsa, que habet, oporteat eum

---

[a] etiam] *inter lineas* [b] trahit] *inter lineas*

---

[900] *Epistola ad Lucilium,* 4

habere et sint in necessariis eius computanda, quem convenit plura quam militem vel rusticum aliquem habere, ad quem tota patria et pauperum spectat defensio, ut, si hostes supervenerint, habeat pecuniam, unde pauperes ab hostibus defendat.

"Quam", scilicet cupiditatem, "quidam appetentes", id est habentes. Appetentes tamen ideo dixit, quia, qui hanc consupiscentiam habent, semper in appetendo crescunt, nec est, quod eis sufficiat, quia, si etiam mu[n]dum universum haberent, mundus universus illis non sufficeret. "Erraverunt", id est per istum appetitum immoderatum a fide exciderunt, et ita "inseruerunt", id est dederunt se, "doloribus multis", ut semper quibuscumque pressuris ingruentibus contra omnia pericula suo desiderio insatiabili satisfacerent.

"Tu autem". Alii sequuntur cupiditatem. Sed, quidquid illi faciant, tu, "O homo Dei, hec fuge", id est cupiditatem et similia mala devita. Et loco horum "sectare", id est cum magno studio sequere bona ista, "iustitiam" videlicet.[a]

Et in his "certa certamen", id est perseveranter pro fide dimica. Geminatio enim perseverantiam notat. Et quia certamen posset esse et non propter Deum, dicit: "bonum", ut semper intentio certantis ad Deum dirigatur tota. Et ita certando "apprehende", id est sic vive, ut semper dignus sis vita illa apprehendenda, "in qua", id est ad quam, "vocatus es" a Deo, et ad quam venturus "confessus es bonam confessionem" et hoc "coram multis testibus". Veluti in baptismo coram patrinis cum queritur: Credis in Deum? et respondetur: Credo. Abrenuntias satane? Abrenuntio. Vel etiam veluti in electione episcopi, cum videlicet in scrutinio questio fiat: Est iustus? Iustus est. Est pius? Pius est. Et similia.

"Precipio". Acsi diceret: Et quia bonam confessionem confessus es, ideo "precipio tibi coram Deo", id est adiurans etiam per Deum, "qui vivificat omnia", id est, sicuti vitam illam ab eo expectas et coram "Christo Jhesu", id est adiurans similiter per Christum Jhesum, quem iudicem ex-

[a] videlicet] *sequitur vacuum trium quartarum partium lineae*

pectamus,[a] qui, videlicet Christus, "reddidit testimonium sub Pontio Pilato". Quod exponit dicens: "bonam confessionem", id est convenientem. Sub illo enim constitutus se Filium Dei esse confessus est. Sic ergo et tu, Thimotheę, exemplo Domini ammonitus quacumque tribulatione imminente numquam tuam taceas, si opus fuerit, confessionem. "Precipio", dico, "ut serves", id est custodias, "mandatum", id est officium, quod tibi mandavimus, "sine macula". Quod exponit "irreprehensibile", ut videlicet propter vitam tuam[b] argui non possit, qui in predicatione numquam caudam facias argenteam.[c] Unde alibi: Ut non vituperetur ministerium nostrum.[901] Et hoc "usque in adventum" etc., id est usque ad finem vite tue. Unicuique enim ab hac vita transeunti statim advenit Dominus, qui reddit ei statim, quod meruit, vel penam vel gloriam non expectans commune iudicium, quod erit in novissimo, quod multa cotidie[d] privata precedunt iudicia.

"Quem", videlicet adventum, "ostendet", id est revelabit, "beatus", qui nullam lesionem recipere potest, "solus portans", quia ex se sufficit ad quecumque administranda. Si autem alii potentes dicantur, potentiam, quam habent ab ipso. Ipse vero ex se suam habet et non ab alio. "Dominus dominantium", quia omnibus illis, qui aliis presunt per ipsum, ipse solus preest, qui omnes alias potestates sub se habet. "Qui", scilicet Deus, "solus habet immortalitatem", id est incommutabilitatem,[e] "et lucem habitat", id est in vita, que caret luce, est non in transitu, sed per inhabitationem, id est semper in luce illa permanet, quam dicit apostolus inaccesibilem, quia ad hanc lucem nemo accedere potest nisi per ipsum, cuius et ipse dator est. De quo in canticis: Trahe me post te.[902]

"Quem nullus" etc., id est comprehendit nec comprehendere potest, quia, ut supra meminimus, trinitas sibi soli nota est.

---

[a] illam—expectamus] *in margine* [b] tuam] *inter lineas* [c] qui in—argenteam] *inter lineas* [d] cotidie] codie [e] incommutabilitatem] incommutalitatem

---

[901] 2 Cor. 6,3 [902] Cant. 1,3

"Cui", scilicet Deo, sit "gloria et honor", id est gloriosus honor, sicuti est, "et sempiternum", id est ęternum imperium, "in secula seculorum", id est per omnes succesiones temporum. "Amen", id est verum est vel fiat, ut supra diximus, quia est adverbium confirmativum sive optativum.

"Divitibus huius seculi". De divitibus etiam eum instruit docens, in quo sint maxime ammonendi. Et hoc est "divitibus", id est, qui huic seculo inhiant, "precipe non sublime sapere", id est non superbire, non elatos esse, "neque sperare in incerto divitiarum", id est non spem ponere in multitudine divitiarum, que incerta bona sunt et fluxa, que numquam in eodem statu permanent.

"O Thimothee". Finiturus epistolam sollicitat eum de mandatis custodiendis tam effectu quam memoria, et ut eum sollicitiorem reddat, nominat illum dicens: "O Thimothee, custodi depositum", id est officium tuum, quod tibi commissum est. Tu, dico, semper "devitans", id est fugiens "prophanas novitates", id est, que contra Deum sunt et a Christo capite membra avellunt. Sunt autem quedam novitates vocum, que non sunt prophane, veluti hoc nomen persona, homousion, trinitas, que in ewangelica auctoritate non reperiuntur. Heę tamen novitates prophane non sunt, que contra quasdam hereses invente sunt. Quippe quidam heretici astruebant IIIes substantias esse tres personas. Contra quos inventa fuit hec novitas, scilicet homo usion, id est homo consubstantialis.[a]

"Et opositiones falsi nominis scientie". Sic construe: opositiones sunt falsi nominis, id est que falso nomine scientia appellatur, quasi dicat: Sophistica argumenta, que, cum veritatem et scientiam promittant, omnino tamen decipiunt. "Quam" scilicet scientiam falsi nominis, "quidam promittentes", id est profitentes, "circa fidem exciderunt", id est in fide periclitati sunt.

"Gratia tecum", id est aliquod donum det tibi Deus[b] supra merita.

---

[a] hec—consubstantialis] *in margine* [b] Deus] *inter lineas*

[In epistolam secundam ad Timotheum.]

"Paulus"[a] etc. Aliam scribit epistolam et maxime ad confirmandum Thimotheum contra instantes tribulationes, ut ipse quibuscumque pressuris imminentibus non[b] deficiat. Et est summa intentionis illius animare eum contra adversitates
157v quascumque, ne etiam || timore mortis officium suum exercere non desinat, id est ewangelizare, quod est episcopi, sed viriliter in omnibus agat et, si opus fuerit, propter Christum martirium subire non refutet, sed exemplo sui, qui nec vinctus vinci potest, in nullo deficiat, cuius catenam, ut posterius dicet, multi erubescentes timore mortis abierunt retro,[903] quia, ut dicit de se veritas, percusso pastore dispergentur oves.[904] Et ideo, quia iste etiam timore percussus erat, vult eum confirmare et contra pericula quecumque animare et ad martirium etiam invitare.

[Cap. 1]

Et hoc est "Paulus" etc., non meis meritis, sed "per voluntatem", id est per gratiam et dispositionem Dei. Apostolus, dico, "secundum promissionem", id est ad hoc vocatus, ut vitam videlicet ęternam, quam Deus suis promisit, mundo predicarem. "Que est in", id est que per Christum habetur, quam appellat specialiter vitam. Quippe hec vita non est vita dicenda, imo potius mors, exilium, miseria.

Et nota, quod in exordio ipso statim animat illum contra omnes tribulationes, quas propter Christum viriliter sustineat, a quo vitam illam expectamus.

Mandat, subaudis, "karissimo Thimotheo filio". "Gratia" etc., ut supra expositum est.

"Gratias ago". Ut suus est mos, ab actione inchoat gratia-

---

[a] Paulus] aulus [b] non] *inter lineas*

---

[903] Joh. 6,67; 2 Tim. 4,9 sq. [904] Matth. 26,31

rum. Deo enim inprimis grates refert, quod eum talem fecit, quod illum semper in memoria habet. Et hoc est "gratias ago", id est laudo et glorifico Deum, "cui servio", in pura videlicet conscientia. Et hoc non modo incipiens facere, sed "a progenitoribus", id est etiam antequam christianus essem, nichil contra conscientiam meam faciens instructus de lege Dei a meis progenitoribus, id est ab illis, a quibus nutritus fui, qui statim de fide unius creatoris me instruxerunt.

Sed queritur,[177*] quomodo conscientia illius pura dicatur, cum sine errore non fuerit.

Philosophus: Puram, inquit, dicimus, quia non peccavit.

At obicitur idem posse dici de omnibus, qui in reprobum sensum veniunt, cum postmodum per ignorantiam excecati nichil contra conscientiam faciant.

Verum est, inquit. Quippe quicumque sive naturaliter stulti, ut baltredus, sive qui in ignorantiam exigentibus peccatis precedentibus inciderunt, cum contra conscientiam quid non egerint, non peccant, id est Deum in eo non contempnunt.

Sed queritur ad hoc iterum, an videlicet in illis, qui in reprobum sensum iam venerunt, ignorantia peccatum sit.

Ad quod ille: Peccatum, inquit, ut et beatus astruit Augustinus,[905] pluribus modis accipitur. Peccatum enim et culpa dicitur et pena culpe. Ignorantia igitur peccatum potest dici in illis, id est pena peccati, hoc est culpe. Propter precedentia enim peccata tradidit illos Deus in ignorantiam, que ad presens esset eis ad penam, etsi pena non multum videatur esse, cum videlicet homo per eam non multum se gravari sentiat vel affligi. Pena enim etiam est, quando tale quid pro culpa infertur alicui, quod eum viliorem reddit et ad incommodum illius spectat, sicuti ignorantia, propter quam vilior efficitur homo.

Econtra vero obicitur, quod talibus ignorantia multum pro-

---

[905] Augustinus, *Contra duas epistolas Pelagianorum lib.* 3 c. 6 n. 16 (PL 44,599)

[177*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Ethica* c. 13 (PL 178,653)

dest, cum, quicquid postmodum fecerint, non peccent, nichil agentes contra conscientiam propter ignorantiam, que ideo potius videtur ad comodum illorum spectare quam incommodum, cum videlicet multa mala imputarentur eis, que modo non imputantur.

Falsum est, inquit. Quamvis enim utile sit eis,[a] quod ea, in quibus excedunt, non eis imputentur, non tamen ignorantia, que malum est, ad commodum illorum est, sed ad penam. Ad hunc enim modum posset dici, quod David peccasse id est Deum contempsisse, ei fuit utile, et Petro negasse Deum, cum uterque multo surrexerit melior; et econtra non esse bonum, quod Deus in carnem venerit, quia magna inde contigerunt peccata iuxta illud veritatis: Si non venissem, utique non peccassent.[906] Item legem datam esse malum fuisse, que, ut dicit apostolus[b] peccandi occasio fuit.[907] Ignorantia itaque, que in illis peccati pena est, ad maximum incommodum eis esse convincitur, presertim cum eos viliores efficiat, sicut David post lapsum vilior fuit, cum in tali fuerit statu, in quo dignus fuit dampnari.

Sed dices: Apud quem viliores sunt ignorantes?

Apud Deum, inquit, viliores, apud quem tanto vilior est in sua natura, quanto plus quis a ratione, que nos a brutis separat, privatus est. Beatus enim Augustinus[908] astruit omnem substantiam rationalem melioris nature quam irrationalem etiam divino iudicio. Deus enim diabolum etiam longe meliorem naturam habere iudicat quam asinum, sicut etiam nonnullas creaturas rationales, que multo sunt vilioris nature. Unde ipse naturam suam attendens ceteris omnibus prevalere statim superbia tactus erga se intumuit.

"Quod sine intermissione". Quasi dicat: Ago, dico gratias, et inde, quod videlicet talem te fecit, quod numquam a memoria mea recedis. Et hoc est, "quod" perpetuam videlicet religionem "habeam sine intermissione", id est semper, "in

---

[a] eis] *inter lineas* [b] apostolus] *inter lineas*

---

[906] Joh. 15,22 [907] Rom. 7,8 [908] Augustinus, *De Genesi ad litteram lib.* 11 c. 2 n. 4 (PL 34,431).

orationibus meis", id est quotiens oro, "memoriam tui". Ego, dico, "nocte et die desiderans videre te", id est optans cum magno desiderio, ut te viderem. Item "memor lacrimarum tuarum", que michi in mente sunt, sciens te multum de tribulationibus meis dolere et super vinculis meis non mediocriter contristari. Desiderans, dico, "ut" ita presentia tua "implear gaudio", id est plenum gaudium habeam consolando etiam te, quem scio super angustiis meis adeo sollicitum esse. Item "accipiens recordationem", id est habens memoriam, "fidei tue", id est, quam sane credis, "que", videlicet fides, "in te est non ficta", sed de puro corde procedens, quam etiam quasi naturaliter habes. Et hoc est "que", fides videlicet, quam habes, etiam "habitavit primum". Et sicut de seipso dixit, quod a parentibus suis per legem fidem habuit, ita et de isto dicit, qui aviam et matrem religiosas habuit. Pater enim illius, cum gentilis fuerit, mater quidem iudea fuit, que de lege Domini instruxit filium. Et hoc ideo memorat apostolus, ut, a quibus fidem habuit, eorum etiam virtutem imitetur. "Certus". Acsi diceret: Et cum in illis fuerit fides, apparet inde, quod etiam "in te" est, quia boni parentes bonos solent habere filios.

"Propter quam causam", quia videlicet fidem et non fictam et naturaliter habes, "ammoneo", id est rogo te, "ut resuscites", id est viriliter exerceas, "gratiam", id est officium apostolatus, quod iam in multis sopitum erat, qui audita captione apostoli tacebant et timore mortis non ita ausi sunt, ut prius, Christum predicare nec contra resistentes recalcitrare. Et ideo rogat, ut iste resuscitet, quod ipse fortasse vel alii vincto magistro minus faciant. "Per impositionem", quia ipse eum in episcopum ordinaverat.

"Non enim". Et bene dixi, ut resuscites omnem timorem abiciens, quis "Deus non dedit", id est non contulit nobis, "spiritum timores", ut servos faceret, sed spiritum "virtutis et dilectionis", id est virtuose dilectionis, ut non solum diligamus, sed etiam caritate compellente resistentibus Christo resistamus. Item spiritum "sobrietatis". Hii autem sobrii sunt, qui ea, que dicunt, exponere sufficiunt et interpretari.

Illi vero, qui non possunt, ebrii sunt, qui videlicet ea, que predicant, non valent expedire.

"Noli". Quia videlicet spiritum virtutis et dilectionis dedit, non spiritum timores,[909] igitur, Thimothee, "noli erubescere", id est timore aliquo retrahere te a predicatione ewangelii, quod testatur mortem et passionem Domini, "neque" iterum erubescere "me vinctum eius", id est Dei, propter quem veni in catenam istam.

"Sed collabora". Noli, inquam, erubescere, imo "collabora", id est mecum intende, "ewangelio", id est predicationi ewangelii. Et hoc non[a] tepide, sed "secundum virtutem Dei", qui potens est manutenere suos.

"Qui". Collabora, dico, et merito cogitans semper de beneficiis illis, que nobis contulit. Et hoc est "qui" videlicet "liberavit nos" a iugo videlicet peccati, et "vocavit", ad fidem videlicet, et hoc "vocatione sancta", id est, que sanctos facit. Et hoc "non secundum opera nostra", id est merita nostra, sed "secundum propositum". Quod exponit dicens: "et gratiam", id est donum suum gratuitum, "que data" etc., id est quam ipse dare nobis per Christum Jhesum disposuit et preordinavit, "ante tempora secularia", id est omnia tempora. Sed secularia tamen dicit[b] propter eternitatem, quam semper Deus habuit, si tempus dici potest.

"Manifestata". Quasi dicat: Data est nobis ante omnia tempora. Sed "nunc", id est in tempore gratie ad hoc a Deo ordinato, "manifestata", id est revelata est, "per illuminationem", id est per predicationem Christi, per quam nos illuminavit. De qua dicitur: Erat lux vera, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.[910] "Qui destruxit mortem", id est peccata abstulit. Non ita tamen, ut non amplius peccemus, sed, si forte peccamus, non regnet in nobis peccatum nec in consuetudinem veniat.

"Illuminavit vitam", id est iam dedit vitam illam lucidam in anima, et tandem "incorruptionem", id est immortali-

---

[a] non] *inter lineas* [b] dicit] *inter lineas*

---

[909] Rom. 8,15 [910] Joh. 1,9

tatem, dabit in corpore. Et "per ewangelium", id est per predicationem ewangelii, quod et ipse predicavit. "In quo", scilicet ewangelio predicando, "positus", id est statutus sum a Deo, "predicator et apostolus, magister" specialiter gentium. Et est replicatio verborum ad eumdem sensum.

"Ob quam causam", id est propter predicationem ewangelii, cuius ego || minister sum, "etiam hec", id est istas pressuras, 158r
"patior", id est sustineo. Sed tamen "non confundar", id est erubescentiam non incurro propter ipsum, propter quem patior. "Scio enim". Et vere non confundor, quia ego "scio, cui credidi", id est scio, quam verax est ille, cui assensi. Et quia multis creditur, qui persolvere nequeunt, subiungit: "et certus sum", quod videlicet "potens est servare depositum", id est gratiam illam, quam disposuit michi dare ab ęterno, ut videlicet in illa permaneam, servare, dico, potens[a] usque "in illum diem", id est diem iudicii, qui longe diversus est a ceteris diebus.

Et ideo tu, Thimothee, exemplo mei iam "habeas formam", id est instructionem in meis verbis sanis, que ad veram sanitatem informant hominem, "que" videlicet "a me audisti", id est didicisti. Et hoc "in fide et dilectione in Christo Jhesu", id est per Christum Jhesum.

"Custodi depositum", id est officium bonum, quod tibi commissum est, viriliter serva docendo, exortando, quod ad ministerium tuum pertinet. Et hoc "per Spiritum Sanctum", id est per amorem Dei, qui facit sanctos et ad omnia expeditos. Nichil enim amanti difficile est. Unde apostolus supra: Caritas omnia suffert, omnia sustinet.[b][911] Per Spiritum, dico, Sanctum, "qui habitat in nobis", id est qui in nobis non est in transitu, sed per inhabitationem.

"Scis hoc". Quasi dicat: Et est necesse, ut ita facias, quia "scis hoc", id est notum est tibi, quod videlicet "aversi", id est separati, "a me omnes, qui in Asia sunt". Hii autem,

---

[a] servare, dico, potens] *in margine* [b] Unde sustinet] *inter lineas et in margine*

---

[911] 1 Cor. 13,7

cum essent de discipulis apostoli, videntes eum tam viliter tractatum, in tam turpia deiectum, in carcere adeo contrectum, non credentes Deum cum illo esse, quem tantum cruciari patiebatur, abierunt retro dicentes: Non est Deus cum isto homine, quem tantum permittit[a] affligi.

"Ex quibus", id est de quorum numero sunt isti. Huius autem aversionis isti, quos nominat, principes erant.

"Det". Illi erubescentes cathenam meam relinquerunt me. Sed "Deus det", id est conferat "misericordiam", id est aliquid super merita in regno suo, "domui", id est familie, "Onesiphori", illius viri probi, quia videlicet ipse "sepe", id est frequenter, "refrigeravit", id est confortavit me in carcere, "et non erubuit catenam meam", id est me cathenatum et vinctum sicut alii. Imo statim, "cum venisset Romam, sollicite", id est cum magna sollicitudine, "quesivit me et invenit". Et ideo "det illi Deus misericordiam", id est aliquid supra merita, "a Domino", id est per Dominum nostrum Jhesum Christum, "in die illa", id est die iudicii. Et tu item, etsi ista ignores, "quanta" tamen ipse "Ephesi", id est apud Ephesum, michi "ministravit", tu, inquam, "melius" id est bene, "nosti", id est novisti.

---

[a] permittit] permitti

[Cap. 2]

"Tu ergo". Acsi diceret: Et quia illi subtraxerunt se, ergo "O tu fili mi karissime", quem videlicet per ewangelium Deo genui,[912] tanto amplius predicationi insiste fortiter, quasi caudam tenens aratri, ut corda austera vomere tue predicationis[a] scindas. Et hoc est "confortare in gratia", id est in officio apostolatus tui, quod tibi per Christum Jhesum est commendatum, et in illis iterum confortare, "que" videlicet "audisti", id est didicisti, "a me per multos testes", id est in impositione manuum.

Et non solum hec, que a me audisti, aliis predica, sed et aliis precipe, ut et ipsi alios eadem doceant. Et hoc est "hec", que videlicet a me didicisti, "comenda", id est precipe, "fidelibus hominibus" predicare, "qui" videlicet "idonei erunt", id est sufficiunt etiam alios docere. Et quid per singula? "Labora" in militia Dei "sicut bonus miles Christi Jhesu", ut videlicet terrena commoda nullatenus ab officio tuo te quicquam retardent. Huius autem militie apostoli duces erant. Ceteri vero minores, sicuti iste, erant milites contra hostes castrum Domini custodientes.

"Nemo". Labora, dico, ut bonus miles, non terrenis videlicet inhians, quia "nemo militans", id est volens militare Deo, "implicet se negotiis secularibus". Imo econtra, quantum potest, se subtrahit, ut liberius ministerio divino vacare queat. Ve ergo episcopis huius temporis, qui seculares etiam emunt prelationes et officio Dei relicto causa lucri intersunt causis, "ut" videlicet "ei placeat", id est Deo, non sibi, ut videlicet, quicquid fecerit, faciat, non quod sibi placeat, sed quia Deo placere credat.[b] "Cui se probavit", id est devovit.

"Nam". Quasi dicat: Et bene dixi, ut ei placeat, quia "et

[a] predicationis] predicatione [b] ut videlicet—credat] *inter lineas et in margine*

[912] Cf. 1 Cor. 4,15

qui certat", id est paratus est agonizare, "non coronatur", id est non accipit coronam, "nisi legitime", id est nisi pura intentione propter Deum.

"Laborantem". Dixi: Labora ut miles bonus, ut videlicet tu primum ad coronam festines iuxta hanc similitudinem, quia [ut dixi][a] "laborantem agricolam oportet", id est certum est, "primum percipere de fructibus" domini sui. [Tu][b] ergo, cum sis agricola Dei, oportet et te primum de fructu [Dei][c] percipere, id est moriendo, si opus fuerit, propter Christum ad bravium vite eterne alios precedere et illos tuo exemplo invitare et ad coronam animare.

Et quia similitudine proposuit, ne ille de pane corporali intelligeret, supponit: "Intellige", id est attende, "que dico". Sed bene poteris intelligere, quia "Dominus dabit intellectum", id est intelligentiam, "in omnibus", id est et in his et in aliis. Quasi dicat: De spirituali pane dico, non de corporali.

"Memor". Acsi diceret: Et ut contra pressuras quascumque accipias animum, attende resurrectionem nobis promissam, que in capite nostro Jhesu Christo iam est completa. Ita Dominus noster, ut beatus dicit Gregorius,[913] semper post austera et dura precepta temperamentum ponit, per spem videlicet promissorum, ut dicat quis: Que cura, quam difficilia fuerint mandata, cum tantum sequatur premium. Et hoc est "memor", id est recordare semper, "Dominum Jhesum Christum resurrexisse a mortuis", id est ab inter mortuos. Resurrexisse, dico, "ex semine David", id est secundum hominem assumptum, qui est ex stirpe David, quia secundum verbum non resurrexit. Et hoc "secundum ewangelium meum", qui et illam resurrectionem predicare non cesso.

"In quo", id est pro quo predicando, "laboro" etiam usque "ad vincula", quibus vinctus sum tamquam "male operans",

[a] [ut dixi]] *sorde deletum* [b] [Tu]] *sorde deletum* [c] [Dei]] *sorde deletum*

[913] Cf. *Moralium lib.* 5 c. 8 n. 14 (PL 75,810)

id est quasi latro aliquis. Sed tamen, quamvis ego alliger, "verbum Dei non est alligatum", quod etiam ego vinctus predico. In vinculis enim multos ad fidem predicando convertebat.

Et "ideo", quia videlicet memor dominice resurrectionis, que me in omnibus confortat, "omnia", id est omnes pressuras, "sustineo", id est patior. Et hoc "propter electos, ut et ipsi", videlicet exemplo mei similiter patientes, "salutem consequantur, que est in Christo Jhesu", id est, que habetur per Christum Jhesum non in terris, sed in celestibus. Et hoc est "cum celesti gloria", id est in vita illa gloriosa celestium.

"Sermo fidelis", acsi diceret: Omnia sustineo propter Christum. Et tu similiter exemplo mei sustineas et merito, quoniam "sermo" iste, qui sequitur, "fidelis", id est talis est, cui fides est adhibenda, quia videlicet, "si commortui", id est, si cum Christo morimur, propter ipsum "et convivemus", id est cum ipso vivemus.

Item, "si sustinemus", etiamsi non morimur, "conregnabimus", id est regnabimus cum illo. Econtra vero, "si negaverimus" eum, et ille "negabit nos", quia, ut ipsa veritas dicit, qui erubuerit sermones meos coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo.[914] Et tamen, "si non credimus", quod videlicet nos non negabit, "ille" utique "fidelis" in eo, quod dixit, "permanet", quia "non potest seipsum negare", id est id, quod ipse astruxit, destruere, cum videlicet in omnibus dictis suis persistat omnino incommutabilis.

Et "hec" quidem, que dicta, aliis "commone". Ego, dico, "testificans" te "coram Domino", id est per Dominum te coniurans, ut, sicut in Domino confidis, ita et commoneas.

"Noli". Prohibet eum, ne cum hereticis contendat, qui contentiosi sunt, quia contra verbosos noli contendere verbis, qui nec veniunt nisi temptandi causa, ut, si qua possint, doctrinam Christi depravent. His autem non est predicandum verbum, qui ex contentione iam obstinati sunt, quia

---

[914] Luc. 9,26

inter porcos non sunt spargende margarite.[915] Et hoc est "noli verbis contendere", id est noli cum contentiosis habere verba, id est cum hereticis, qui non querunt nisi[a] litigia. Et quare? Quia contendere videlicet "nichil est utile", id est in aliquo alio profectum non habet, nisi quos audientes sepe subvertit. Quod malum est et ideo vitandum est.

"Sollicite". Quasi dicat: Et ut in his omnibus, que dicta sunt, predicatio tua rigorem et efficaciam habeat, inprimis
158v "sollicite", id est cum || magna sollicitudine tu, medicus aliorum, medere tibi, cura te ipsum.[916] Et hoc est "cura", id est nitere, "exibere teipsum probabilem", id est laudabilem Deo, "operarium inconfusibilem". Inconfusibilis est predicator, qui, quod predicat, non opere destruit.

"Recte tractantem verbum". Ille recte tractat verbum Domini, qui predicationem suam ad commoda terrena non applicat. Veluti, qui in fine caudam faciunt argenteam, vel etiam, ut maiori astutia decipiant, dicentes se nichil querere posse, tamen suos mittunt giezitas. Ve ergo episcopis, ve presbiteris, qui cotidie commercimonia ista faciunt in domo Domini.

Et deinde, postquam videlicet teipsum curaveris secure, "devita profana", id est fuge prophanos homines, id est hereticos et vaniloquos, qui videlicet intendebant fabulis et genealogiis interminatis,[917] que potius prestant, ut supra meminimus, questiones quam edificationem.

"Multum enim". Devita, dico, et debes, quia "multum proficiunt", id est magnum profectum habent ad impietatem.

"Et sermo eorum" etc. Cancer[b] est quedam infirmitas, que non statim totum corpus aggreditur, sed paulatim corpus occupat. Ita et illi nequam pedetentim laqueum tendentes tandem manus iniciunt et ex toto hominem allicientes sibi decipiunt. Veluti de illo heretico dictum est supra, qui idiotam christianum et simplicem volens decipere a musca sermonem incepit.[918]

---

[a] nisi] *inter lineas* [b] Cancer] carcer

---

[915] Matth. 7,6 [916] Luc. 4,23 [917] 1 Tim. 1,4 [918] *In Johannis evangelium tract.* 1 c. 1 n. 14 (PL 35,1386). Cf. notam 465

"Ex quibus", videlicet hereticis hominibus, sunt isti duo tamquam principes nequitie, "qui exciderunt", id est separati sunt, "a veritate", id est a Christo. Illi, dico, "dicentes resurrectionem iam factam", id est completam, nec illam expectandam esse preter istam, que iam in anima facta erat in vitiorum recisione, a quibus iam resurrexit anima tamquam ex mortuis. Et ita predicatione sua perversa "subvertunt", id est destruunt, "fidem quorumdam", avellentes eos a Christo.

Sed tamen, quamvis quidam excidant et subvertantur, "firmum fundamentum", id est fides ei in bono fundamento posita firma stat non timens ruinam, "habens signaculum hoc", quod videlicet Dei est, quia stat. Hinc autem fuit consilium Gamalielis de Christo ad principes sacerdotum volentes prohibere, ne apostoli predicarent,[a] qui ait: Nolite sic facere. Quippe si doctrina ista ex Deo est, non poteritis destruere. Sin autem, inquit, per se dissolvetur.[919]

"Cognovit". Et vere stat, quia "cognovit", id est a principio previdit, "qui sunt eius", id est, quos ad vitam predestinaret. "Et" ideo cotidie "discedit ab iniquitate", id est iniquitatem suam relinquit, "qui" videlicet "nominat nomen Domini", id est, qui per notitiam, quam de ipso habet, ex interiori affectu, quantum potest, ad ipsum tendit.[b] "In magna autem". De electis et reprobis dixit, qui simul permixti sunt. De qua permixtione ne mireris, frater, quia usque ad finem seculi boni cum malis tamquam grana in area cum palea permiscebuntur, donec videlicet ille iudex districtus venerit, qui a paleis grana deorsum ponet et in horreum suum collocabit, paleas autem igni comburet. Hoc autem competenti monstrat similitudine. Verbi gratia: In domo magna alicuius principis sunt et vasa honoris veluti vasa aurea sive argentea, que ad propinandum potestatibus destinata sunt. Sunt et vasa contumelie, que habentur in coquina sive in pistrina ad viliora deputata officia. Et hoc est

[a] volentes—predicarent] *inter lineas* [b] habet—tendit] *in margine*

[919] Act. 5,38

"in magna" etc. Acsi diceret: Ita permixti sunt boni et mali, nec mireris, quia "in magna domo" id est in domo alicuius principis, "non solum" etc. Et horum "quedam quidem in honorem", id est alia sunt ad honorabile officium, alia "in contumeliam", id est ad contumeliosum et vile officium. Quasi dicat: Ita ad hanc similitudinem in hoc mundo, qui est[a] domus Dei magna, que capit universos, ubi mali bonis permiscentur.

"Si quis ergo". Et quia ita reprobi electis permixti sunt, quorum isti sunt in honorem, illi in contumeliam,[b] ergo "si quis emundaverit ab istis", id est, si aliquis purgaverit se ab immunditiis istorum, qui perversi sunt, "erit vas in honorem", id est vas honorificum, "sanctificatum" per amorem "et utile Domino", id est in aministrationibus aliorum propter Dominum necessarium. Vas, dico, "paratum ad omne opus bonum", id est presto pocula vite quibuscumque ad edificationem illorum propinare.

"Iuvenilia autem". Quia iste iuvenis erat et hec etas facile ad malum flectitur per desideria, que non conveniunt, rogat, ut desideria illa fugiat iuvenilia, que videlicet hanc etatem, que calidior est, comitari solent; et, cum ipse sit iuvenis corpore, sit quidem senex et mente. Et hoc est "iuvenilia autem desideria fuge", id est devita, ut videlicet, si quando occurerint, non eis assentias. Et loco istorum, que fugias, ista, que sequuntur, secteris. Et hoc est "sectare", id est diligenter sequere, "iustitiam" reddendo unicuique, quod suum est; "fidem" bene credendo, ne error sit in fide. "Caritatem". Iustitiam propter caritatem adulteram illam exteriorem exhibitionem, id est ipsum reddere, appellat. Quod, ut ex corde fiat, subnectit: "caritatem", ut videlicet, si etiam non reddat, reddere tamen paratus sit. Et ita "pacem" ad omnes sectare "cum his" etc., id est,[c] quemadmodum illi, qui "invocant", id est ex interiori affectu. Quod exponit per "de puro corde" vocant "Dominum", id

---

[a] est] *inter lineas* [b] quorum—contumeliam] *inter lineas* [c] id est] *inter lineas*

est per notitiam illam, quam habent de Deo, ex toto ad ipsum tendunt.

"Stultos autem". Quia iste episcopus erat et ad episcopos civitatis solent questiones afferri, que aliqua egent determinatione, precipit ei stultas vitare questiones. Veluti, si quis querat, quot anni sint ab incarnatione Domini, vel de qua tribu fuerit Dominus, que non multum ad rem pertinent. Item questiones illas, etsi stulte non sint,[a] que ad edificationem et morum disciplinam non spectant, veluti de generibus et speciebus, utrum subsistant necne. Et hoc est "stulta", id est que omnino frivole sunt, et illas etiam, que etsi frivole non sint, sunt tamen "sine disciplina", id est ad instructionem morum non spectant, "questiones devita", id est omnino abice. Tu, dico, "sciens", id est attendens, quia non "generant", id est non proficiunt nisi ad lites.

Et ideo ex toto fuge huiusmodi, quia videlicet "servum Domini" etc., id est ille, qui servitio Dei se implicat, ab omni litigio se debet subtrahere, quod sine utiltate est. Et hoc est "servum Domini non oportet", id est non decet, "litigare", id est contendere. Inter contentiosos enim verba Dei non sunt spargenda. Si quis tamen non verbis tantum, sed et factis contenderet, ut videlicet episcopum a fide removeret, sicuti in primitiva factum est ecclesia, hanc contentionem non debet fugere episcopus, sed primus presto sit resistere. "Sed mansuetum", id est non asperum, sed mitem, sed patientem, "ad omnes", id est iudeos et gentes vel minores et maiores. "Docibilem", id est talem, qui et alios velit docere et seipsum a quocumque doceri non negligat.

"Corripientem eos, qui resistunt veritati", id est Christo. Et hoc "cum modestia", id est ita, ut eos tamen non nimium exasperet, sed in correptione sua modum servet et non excedat. "Ne quando". Cum modestia, dico corripientes, semper attendentes, "ne", id est ut, videlicet "quando", id est aliquando, "Deus det illis", qui videlicet adhuc resistunt, "penitentiam", id est aliquam afflictionem, unde vere penitentes ad Deum convertantur. Ut in apostolo ipso ostensum

[a] sint] sit

est, qui quadam vi ad Deum conversus est. Sepe enim, quos predicatio nostra non movet, Deus convertit flagello. Et hoc "ad cognoscendam veritatem", id est ad cognoscendum Christum, qui veritas est. Et ita "resipiscant", id est redeant, "a laqueis", id est relictis peccatis, per que diabolus illaqueat hominem et ad se trahit. "A quo", scilicet diabolo, "captivi tenentur", id est constringuntur iugo peccati, quod iam eis dominatur. Et hoc "ad ipsius voluntatem", id est iuxta voluntatem, ipsius videlicet diaboli, qui vult omnia mala.

[Cap. 3]

"Hoc autem scito". Dixi: Devita hos et illos, et est necesse, quia multe hereses in ecclesia Dei pullulabunt. Et ita incipit illum de futuris hereticis premunire, ut videlicet, cum ipsi emerserint, melius sibi precaveat et illi minus[a] ledere possint. Nam levius ledit, quicquid previdimus ante. Et hoc est "scito hoc", id est attende, quod "in novissimis diebus", id est in fine seculi, "instabunt tempora periculosa", id est plena heresibus. Nec mirum, quia "erunt homines amantes seipsos", id est in se finem constituentes de omnibus, que facient, et non in Deo. "Cupidi", id est insistentes concupiscentie superfluorum congregandorum, "elati" super maiores se, "superbi" super minores, "fastidiosi", id est fastidia inferentes omnibus, "blasphemi" contra Deum, "parentibus non obedientes", ad quorum obedientiam eos natura etiam trahit, ut ex toto sint inhumani. "Ingrati" de susceptis beneficiis; "scelesti", id est scelerosi in magnis criminibus; sine affectione, non solum sine affectu, sed etiam sine affectione naturali, quam etiam bestie inter se habent; "sine pace", cum omnibus contendentes; "criminatores", id est inventores novorum criminum; "incontinentes", id est intemperantes in libidinem omnem; "immites", id est crudeles, quod exponit "sine benignitate", id est nemini exhibentes misericordiam; "proditores", id est proditionum machinatores.

"Protervi." Ille protervus est, qui post dignam repulsam iniuste instat. "Tumidi". Tumidus est ille, qui ex quodam tumore animi alteri in facie resistit, quasi velit manus in vultum illius inicere. "Volumptatum" etc., id est magis scortum diligentes quam Deum. "Habentes speciem quidem", id est similitudinem virtutis, per quam tamquam per ipocrisim nequitiam palliant. Et "virtutem eius", id est ip-

[a] minus] *inter lineas*

sam pietatem, que virtus est, hoc est amorem Dei, "abnegantes", id est a mente ex toto abicientes.

"Et" ideo "hos", id est[a] huiusmodi homines, "devita", id est fuge. Et merito vitandi sunt, quia "ex his", id est[b] ex numero horum sunt, "qui domos penetrant", id est latenter tamquam latrones absentibus viris domos ingrediuntur fa-
159r ciendo benedictiones suas super || carbones sive super aquam aliquam, quasi velint miracula facere. Et a mulieribus, que facile possunt decipi, incipiunt, ut viros, qui astutiores sunt, per eas seductas primum postmodum decipiant. Serpens enim non a viro incepit, sed Evam prius seduxit et ita per mulierem seductus est vir. Ita et illi primum ad Evam veniunt, per quam nonnumquam Adam seducunt.

"Et captivas". Penetrant, dico, et ita "ducunt", id est seducunt, "mulierculas", id est miseras mulieres, que facile seducuntur, "captivas", id est captivatas ab illis, quia illis se consentientes iam tamquam in iura eorum transierunt. "Oneratas peccatis", id est gravatas iugo peccati, quod iam in illis regnum traxit. "Que", videlicet muliercule, "ducuntur variis desideriis", id est non permanent, sed moventur de voluntate in voluntatem, ut numquam in eodem desiderio per horam durent. "Semper discentes", id est semper querentes nova audire. Huiusmodi enim levitatis est sexus ille, ut assidue ad nova properet et contempnat presentia. "Et numquam" etc., id est numquam ad cognitionem Christi, qui veritas est, pertingentes.

"Quemadmodum". Per similitudinem monstrat non esse mirandum, si quandoque heretici veniant ęcclesiam Dei infestare, quia etiam quidam sub Moyse sinagogam infestabant, qui, cum ille faceret miracula in Egipto ad liberandum populum Dei, eadem signa faciebant, sicut in Genesi legitur.[920]
Continuatio: Nec mireris de istis perversis hominibus, quia,

[a] hos, id est] *inter lineas* [b] ex his, id est] *inter lineas*

[920] Cf. Exod. 7,11 sqq.

"quemadmodum Jamnes et Mambres", id est illi magi, "restiterunt", id est contradixerunt Moysi, "ita", id est ad hunc modum, "resistunt veritati", id est vere doctrine Christi.

"Homines mente corrupti". Ille mente corrumpitur, qui extra finem illum consistit, ad quem omnes debent tendere puram habentes intentionem ad Deum, qui finis omnium constituendus est. "Reprobi circa fidem", id est in fide heretici. Sed tamen isti deinceps "non ultra proficiunt", non quod non subvertent quosdam, sed quia[a] ulterius non consumabunt, quod intendunt. Homo enim hereticus non intendit unum solum vel duos decipere, sed fidem ęcclesie omnino extirpare et errorem suum substituere, ut secta sua plantata communiter teneatur.

Dicit, ergo, quia huiusmodi homines non ultra proficient, id est post istam meam preamonitionem, antequam veniant precogniti, cum venerint, quod intendent perficere, non perfecerunt, sed ex toto nequitia illorum ante cognita facile confutabitur, sicuti postmodum ex ewangelica auctoritate et apostolica heresis omnis exstirpata est et maxime per illa IIIIor magna concilia, que apud Grecos sanctita sunt et confirmata.

"Insipientia enim". Vere non proficient ultra, quia "insipientia" etc., id est per predicationem nostram et apostolorum ceterorum, a quibus error illorum, etiam antequam sint, predictus est, cognoscetur omnibus, quando venient, "sicut et illorum fuit". Quasi diceret: Ita, dico, manifesta erit, sicut et illorum magorum fuit, qui sub Moyse sinagogam persecuti sunt.

"Tu autem". Tales et tales, dixi, erunt homines, quibus et tu facile resistere poteris, quia "tu assecutus es doctrinam meam", id est assequendo consummatus es in illa sciens morem meum in docendo; "institutionem", id est morem meum in vivendo; "propositum", quod videlicet, quicquid ago, pure propter Deum agere propono; "fidem", qualiter

---

[a] quia] *add.* non

videlicet credam; "longanimitatem", perseverantiam in omnibus istis; "dilectionem", id est caritatem; "patientiam" contra adversa, que ab ipso supponuntur; "persecutiones", id est tribulationes de loco ad locum; "passiones", id est pressuras alias quascumque veluti sitire, esurire.
"Qualia", videlicet adversa, "michi facta", id est illata sunt in illis locis, que ponit. "Quales", etiam alias sepe, "tribulationes sustinui", id est passus sum. "Et" tamen "ex omnibus" pressuris istis "eripuit", id est liberavit me Dominus.

Et ita apostolus omnes fideles ad patientiam ortatur exemplo suo. Nec timeant pressuris iminentibus, quia suo etiam exemplo liberante Domino consolabuntur et adversa superabunt. Et hoc est, quod supponit: "et" non solum ego, sed "omnes", qui videlicet "volunt pie vivere", id est in amore vivere et hoc "in Christo Jhesu", qui videlicet tot mala pro nobis passus est, "patientur", id est sustinebunt et propter ipsum "persecutionem".
"Mali autem". Illi, qui pie vivere volunt, proficient in patientiam. Sed "mali homines", quibus videlicet non satis est se solos perdere, nisi et alios primum seductos secum trahant, quod exponit "et seductores", qui semper intendunt alios seducere, "proficient in peius", id est profectum habebunt in deterius, quod est defectum habere; "errantes" in se ipsis et "mittentes" alios "in errorem", id est sectam sui erroris.

"Tu vero". Illi, dico, in malitia crescent. Sed tu "permane", id est persevera, "in his, que didicisti", id est, in quibus instructus es, "et credita", id est tibi commendata, ut in illis milites. Et debes confisus auctoritate illius, a quo didicisti. Et hoc est[a] "sciens", id est attendens, "a quo didiceris", id est[b] magistrum tuum ad omnia sufficientem esse, que te docuit.
Et item ideo permanere debes, quia ab infantia sacris litteris instructus es, que etiam cum auctoritate mea et doctrina ad omne bonum te poterunt iuvare. Et hoc est "quia

[a] est] *inter lineas* [b] id est] *inter lineas*

ab infantia nosti sacras litteras", legis videlicet, ad cuius disciplinam, ut supra meminimus,[921] ex quo fuit idoneus, a matre, que iudea fuit, missus est. "Que", videlicet littere, "possunt instruere te", et hoc "ad salutem" tam tuam te ipsum edificando quam aliorum docendo, exortando. Et hoc "per fidem", que videlicet "est in Christo Jhesu", ut videlicet semper legis testimonia ad confirmationem ewangelii afferas et lex tota fidei et doctrine Christi serviat, qui est quasi piper et condimentum utriusque testamenti. Ideoque ad ipsum debent applicari et de Christo sibi invicem respondere, ut semper quasi rota in rota[922] se invicem includant et unum in altero contineatur, ut de Christo, quod novum completum esse predicet, vetus quidem primum complendum esse respondeat.

"Omnis". Diceret aliquis: Estne adhuc testimonium legis ad instruendum utile. Ita utique, quia videlicet "omnis scriptura divinitus inspirata", id est per Spiritum Sanctum revelata, "utilis est", id est valet multum, "ad docendum" ignorantes; item "ad arguendum" resistentes; item "ad corripiendum" negligentes;—et quid per singula?—"ad erudiendum" videlicet hominem. In dialectica? In rethorica? Nequaquam. Imo "in iustitia", id est in amore Dei et proximi, "ut" ita "perfectus homo Dei", id est paratus sit redere unicuique, quod suum est. Quod exponit et "ad omne" etc., id est ex ipsa dilectione presto ad omne bonum operandum.

---

[921] *supra*, 603 [922] Cf. Ezech. 1,16

[Cap. 4]

"Testificor". Acsi diceret: Et quia scio te in talibus idoneum, sufficientem esse, "testificor", id est coniuro te per Deum et Christum Jhesum, qui videlicet "iudicaturus est vivos et mortuos". Duobus modis beatus exponit Augustinus[923] dicens "vivos" esse viventes in virtutibus, "mortuos" perseverantes in peccatis. Vel vivos illos videlicet, qui, quando dies ille venerit, vivi reperientur; mortuos vero, qui ante diem illum mortui erunt.

Item testificor te et "per adventum et regnum", ut videlicet sicuti in adventu illo confidis, sperans postea in regnum recipi, ita et ista serves et insistas, que videlicet sequuntur; alioquin nec tibi proficiat. Et hoc est "predica verbum," non verbum oris, verbum videlicet transitorium, sed verbum coeternum Deo, id est Filium Dei, de quo dicitur: In principio erat verbum.[924] Item psalmista: Eructavit cor meum verbum bonum.[925] Eructavit, quasi de profundo emisit.

"Insta oportune", id est predicationi insiste, cum oportunitatem videris. "Inoportune argue". Quasi dicat: Etsi etiam inoportunus videaris, noli tamen arguitionem tuam, que convenit, pretermittere, quia, ut dicit beatus Jeronimus,[926] quando taciturnitas nostra nocet, debemus etiam contra voluntatem illius, qui arguitur, etsi usque ad rancorem animi moveatur, insistere. Ut enim dicit veritas,[a] quia ve illi, per quem scandalum venit.[927] Ita etiam astruit dicens, quia videlicet necesse est, ut veniant scandala.[928] Et hoc est "inoportune argue", resistentes videlicet, ut, cum necesse fuerit, scandalum facias et sis petra offensionis.

---

[a] veritas] *in margine*

---

[923] Augustinus, *Enchiridion* c. 55 (PL 40,258) [924] Joh. 1,1 [925] Psalm. 44,2 [926] Cf. Epist. 117 n. 1 (PL 22,954) [927] Matth. 18,7 [928] Matth. 18,7

"Obsecra", bonos videlicet, ut semper ad potiora tendant. "Increpa", eos videlicet, qui infra metam volunt consistere, dicentes sibi: Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.[929] Et hoc "in omni patientia", ut videlicet sis mansuetus ad omnes, sicuti decet episcopum, ut neminem supra modum exasperes. Item in omni "doctrina", ut videlicet tuam predicationem contemperes iuxta capacitatem singulorum . Ut enim in Ezechiele legitur, animalia, cum sursum se erigant,[a] rotam secum trahunt; cum vero demittant, rota cum illis retrahitur.[930] Hec autem animalia predicatores designant, qui sursum se erigunt, cum de summa magestate loquendo predicent et de distinctione personarum disserant et secum rotam trahunt, id est sacram scripturam ad ea testanda, que dicunt, accommodant. Seorsum vero se demittunt cum videlicet || de minoribus predicent veluti de Verbo 159v
incarnato, nato et passo et tandem resuscitato. Et secum rotam retrahunt, quia ad hoc quoque sacram scripturam applicant. Que ideo rota, que rotunda est, appellatur, quia et sacra scriptura perfecta est et in ea nullus angulus erroris est. Hunc autem predicationis modum[b] secuti sunt apostoli, qui erant dies diebus et noctes noctibus. De quibus dicitur: Dies diei eructat verbum et nox nocti indicat scientiam.[931] Item apostolus: Non iudicavi me aliquid scire apud vos nisi Christum Jhesum et hunc crucifixum.[932] Non enim potui loqui vobis quasi spiritualibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.[933] Sapientia vero loquitur inter perfectos.[934] Aliter enim illis parvulis locutus est et aliter grecis philosophis, quibus cum de resurrectione predicaret, requisierunt quidem illi, ut iterum diceret.
"Erit enim". Et vere predicandum et vere instandum, quia "erit tempus, quando non sustinebunt", id est non curabunt audire "doctrinam sanam", id est doctrinam Christi salubrem, que videlicet de salute anime instruit. "Sed coacerva-

---

[a] se erigant] *inter lineas* [b] modum] modi

---

[929] Horat. Epist. I epist. 1 v. 32. Cf. Abaelard., *Theologia lib.* 2 c. 3 (PL 178,1055). [930] Ezech. 1, 19-21 [931] Psalm. 18,3 [932] 1 Cor. 2,2 [933] 1 Cor. 3,1 sq. [934] 1 Cor. 2,6

bunt sibi magistros", id est facient sibi magistros, qui, quod illi desiderabunt, dicent eis. Illi, dico, "prurientes auribus". Homo dicitur pruritum habere in pedibus, qui pre sua instabilitate in eodem loco non diu permanet. Ita et ille auribus prurit, qui semper nova audire desiderat. "Et a veritate" etc., id est veritatem audire omnino refutabunt. Et "ad fabulas convertentur", id est ad mendacia et fabulosa ex toto animum suum applicabunt, sicut hodie in ecclesia contingit.[a] Si quis enim veritatem predicare velit, non habet auditorem. Si vero fabulas inceperit dicere, quomodo videlicet Judas in mari repertus est super saxum sedens ex una parte panniculum habens, quomodo diaboli circumstant malleos ferreos tenentes in manibus et illum undique percutiunt; quomodo caldarie plene animabus pulliunt apud inferos; statim terrentur homines et, ut liberentur ab illis caldariis, sine mora soluto marsupio mentienti predicatori nummos afferunt, quod vero predicatori non facerent, quia fastidiosum est eis verbum Dei. Dicunt enim: Istud audimus cotidie et statim aures avertunt.

Et ideo "tu vigila", id est in officio apostolatus tui esto sollicitus. "In omnibus", id est pro omnibus, "labora", id est cum magna cura cogita de utilitate omnium, quod officium tuum requirit, ut videlicet cura tua supra omnes intendatur. "Fac opus ewangeliste". Quod exponit dicens: "imple ministerium tuum" docendo, exortando. Opus autem ewangeliste dicit, quia in sua predicatione non oportet eum dicere nisi completa, ut tanto facilius ei credatur, quanto manifestiora predicabit. Quod enim prophete complendum predicabant, ewangelium completum predicat.

"Sobrius esto" in te ipso, ut ex vita propria non possit tua argui predicatio, nec aliquis tibi in facie resistere queat. Et est opus te ita facere, ut post me aliquem relinquam successorem, quia ecce ego iam "delibor". Delibere est aliquid de massa excerpere. Veluti si ex multitudine pomorum quis unum demat, ut degustet, cuiusmodi saporis[b] sint cetera. Ita ergo apostolus delibabatur, quia ex defectu corporis sui

---

[a] contingit] contigit [b] saporis] *inter lineas*

presentiebat diem resolutionis sue propinquam esse. Et hoc est "iam delibor", id est ex defectu corporis mei, qui est quasi quedam mortis delibatio, presentio diem meum prope esse. Quod exponit "et tempus" etc., id est dies mortis mee appropinquat.[a]
"Bonum certamen". Acsi[b] diceret: Et secure possum de vita ista transire, quia "bonum certamen certavi", id est propter Deum, quia ipse in fine est, non ego. Et nota, quod geminatio ista perseverantiam notat, ut non semel supra memenimus, veluti: euntes ibant.[935] Quod exponit "cursum consummavi". Cursus ille consumatus est, qui ad Deum tamquam ad causam superiorem directus usque in finem perseverat, ut postea non restet nisi coronam suscipere. "Fidem servavi", id est, quod Deo promisi, id illi tenendo iam persolvi. "In reliquo". Quasi dicat: Et postquam cursus consumatus est, fides servata est, "in reliquo", id est de reliquo, hoc est[c] quid amplius restat nisi quod bravium, quod promerui, assequar. Et hoc est "in reliquo", id est deinceps nichil aliud restat, nisi quod reposita est, id est, nisi quod reddatur michi corona iustitie, id est bravium vite eterne, quod iustis debetur, quod michi in celis repositum est. Bravium illud eterne beatitudinis coronam appellat, quia corona agonizantibus proponitur, ut qui bene agonizat, coronetur. Non enim, ut supra meminit apostolus, coronatur quis, nisi qui legitime certaverit.

"Quam", videlicet coronam, "reddet", id est dabit, Dominus, qui est "iustus iudex", id est qui iuste iudicat reddendo[d] unicuique, quod suum est. Et non solum michi reddet, sed etiam "his, qui diligunt adventum eius". Non enim diligunt adventum eius, nisi qui puras habent conscientias coronam expectantes. Qui vero suis diffident conscientiis, nullatenus adventum illius diligunt, cum etiam Deum non esse velint.

"Festina". Finiturus epistolam illum rogat, ut cito ad eum

---

[a] appropinquat] *sequitur vacuum exiguum* [b] Acsi] *syllaba* si *inter lineas* [c] est] *inter lineas* [d] reddendo] *inter lineas*

---

[935] Psalm. 125,6

veniat. Et quare?, causam subnectit, quia persecutione ipsius iminente multi de discipulis suis abierunt retro et quasi eum solum reliquerunt. Item et ipse reliquos fratres alios miserat in opus ewangelii, nec erat modo preter Lucam, qui ei ministraret. Et hoc est "festina" etc.

"Demas enim". Quasi diceret: Et est opus, ut festines, quia "Demas", iminente scilicet persecutione mea, "dereliquit me diligens hoc seculum", id est captus amore huius seculi, "et abiit" ipse "in Tessalonicam. Crescens". Ille, inquam, relinquens me illuc abiit. Item Crescens a me videlicet missus abiit "in Galatiam". Item "Thitus in Dalmatiam". Et ita "Lucas solus est mecum". Et ideo festina et "assume Marcum" socium et "adduc tecum", quia videlicet ipse "utilis" etc., id est multum est michi necessarius in aministratione. Marcus autem ille, ut aiunt, fuit ewangelista.

"Thicicum". Diceret aliquis: Et Thicicus ubi est?[c] Supponit: "Thicicum misi Ephesum", qui videlicet solebat michi ministrare.

"Penulam". Rogat Thimotheum inter cetera, ut penulam, quam apud Troiadem dimisit, secum afferat. Et fuit, ut aiunt,[936] penula ista vestis quedam, que fuit data patri suo a Romanis, quando cum illis fedus iniebatur. Solebant enim Romani, quando cum illis ab aliquo fedus iniebatur, dare aliquid ad signum federationis, ut ille amplius, qui fedus inibat, pro Romano et concive teneretur. Voluit ergo penulam sibi afferri volens videre, quid de suo concive facerent, ut et ipse maiorem haberet in carcere libertatem et liberius posset scribere, qui quacumque tribulatione iminente numquam epistolas dimittebat. Unde, cum et paulo ante tempus sue resolutionis instare monuerit, libros tamen, ut et secum afferat, rogat et maxime parcamenum, ubi scribat. Ita enim

---

[a] est] *inter lineas*

---

[936] Cf. Haimo, *Expositio in epistolas S. Pauli, In ep. 2 ad Timotheum* c. 4 (PL 117,809A f.).

scribens circa salutem aliorum occupatus fuit, quod etiam, ut credo, cum moreretur, pennam manu tenebat.

"Caprum", proprium nomen. "Membranas", id est parcamenum, ubi scribens illos per epistolas instrueret, quibus suam non poterat exhibere presentiam.

"Alexander". Iste Alexander erarius erat, quia comunem thesaurum civitatis custodiebat, qui multum apostolum persecutus est et multa mala ei intulerat. Quod et huic notificat, ut et ipse de tam perverso homine sibi precaveat. Et hoc est "Alexander" etc. Ostendit michi, dico, sed "Dominus reddet" etc. "Quem et tu" ideo "devita", id est fuge, et fit merito vitandus, quia ipse "valde restitit" etc.

"In prima". Dixi, quod dereliquit me Demas, quia "in prima mea", id est in prima etiam mea accusatione, ante Neronem videlicet, "nemo" meorum pre timore quidem "affuit michi", id est mecum ivit, ut me videlicet iuvaret. "Sed omnes" etc., id est dimiserunt me. "Non" tamen "illis" a Deo "reputetur", id est imputetur.

"Dominus". Illi[a] reliquerunt me, nec tamen desolatus sum, quia "Dominus astitit", id est presens fuit michi, "et confortavit me", id est consolatus est me. Et ita invitat eum, ut propter Deum patiatur, quia et exemplo suo confortabit eum Dominus. "Ut per me". Confortavit, dico, et ad hoc, "ut" videlicet "per me predicatio impleatur", id est predicatio ewangelii plena fieret per mundum universum me ministro, "et" ita "audiant omnes gentes", nomen videlicet Christi. "Et" ita per confortationem Domini "liberatus sum de ore leonis", id est Neronis.

"Liberavit". Et non solum liberavit me de ore leonis, sed etiam "liberavit me Dominus ab omni opere malo", id est ab omni perverso operatore. Et ita exemplo mei liberabit te Dominus. Insiste predicationi; ne timeas; confide in Domino. Liberabit, dico, et tandem "salvum faciet", id est salvabit me ducens me "in regnum suum celeste", id est in vitam illam celestium. "Cui gloria" etc., id est, qui laudetur

[a] Illi] *littera* i *supra* e

et glorificetur per omnes successiones temporum. "Amen", ut supra.

"Saluta" etc. More suo in fine salutat sanctos, qui in illis sunt partibus, ubi mittitur epistola. Et hoc est "saluta" etc. Et cum supra malos arguerit, vult ex sua etiam salutatione, ut et boni confortentur et in proposito sint constantiores.
160r Aquila autem et Prisca fuerunt hospites illius, || apud quos ipse hospitari solebat. "Et Onesiphori domum", id est familiam illius probi viri.

Item de discipulis addit, quos dicit esse absentes, ut et ille magis properet. Et unum illorum dicit se apud Miletum reliquisse infirmum, ut, si ipse illuc venerit, illum visitet. Et ideo "festina" tanto citius "venire", sed tamen "ante hiemem", ut videlicet michi ante necessaria afferas pro frigore, et via etiam sit tibi minus periculosa.

"Salutant" etc., id est isti fideles, qui apud nos sunt. Sed, cum supra dixerit: Lucas mecum solus est,[937] et hic istos fideles enumeret, attende hoc dictum esse de discipulis.

"Dominus Jhesus Christus" perseveret "cum spiritu tuo", id est cum ratione tua, ut carni numquam subiaceat.

"Gratia vobiscum", id est aliquod donum supra merita. Amen.

---

[937] 2 Tim. 4,11

[In epistolam ad Titum.]

"Paulus"[a] etc. Ad Thitum scribit apostolus. Thitus autem, quemadmodum Thimotheus, discipulus fuit apostoli Crete in episcopum ordinatur ab ipso. Secundum quosdam vero ab apostolo missus ut legatus[b] ad ordinandum episcopos per civitates illius terre. Huic ergo scribit docens eum, qualis ipse esse debeat et quales debeat ordinare episcopos, qualiter victitare debeant uterque sexus, omnis etas tam iuvenum quam senum, et omnis conditio tam dominorum quam servorum. Et summa intentionis hec est, eum videlicet de propria conversatione instruere, de episcopis ordinandis, de subiectis plebibus erudiendis, de hereticis vitandis.

[Cap 1]

Salutatione itaque premissa inchoat dicens: "Paulus servus Dei", cui quidem servire regnare est. Servum enim Dei esse non est esse servum, immo omnino liberum esse. Est enim ibi in adiectivo oppositio. Et quamvis servus Dei, "apostolus" tamen "Christi Jhesu", qui apparens michi in via ad apostolatum istum vocavit me. Non enim me ingessi, sed coactus accessi. Apostolus, dico, "secundum fidem electorum", id est ad predicandam fidem, quam Deus dat electis suis, id est illis, quos ad vitam predestinavit. Et non solum ad fidem illam predicandam, que de Deo naturali ratione investigare potuit, sed etiam ad fidem illam plantandam, que de Christo habenda est. Lege enim naturali illam notitiam de Trinitate[c] habuerunt philosophi, quam nos habemus hodie. Unde apostolus: Quod notum est Dei, manifestum est in illis,[938] non solum illis, sed aliis etiam per illos. In-

[a] Paulus] aulus [b] ut legatus] *inter lineas* [c] de Trinitate] *inter lineas*

[938] Rom. 1,19

carnationis vero misterium nemo ratione adnimadvertere potuit, nisi cui spiritus revelaverit. Et hoc est, quod subponit: "et cognitionem veritatis", id est ad fidem, que de veritate, id est de[a] Christo habenda est predicanda, quem per fidem cognoscimus. "Que" videlicet cognitio "secundum pietatem est", id est ex toto trahit hominem in amorem Dei, qui non solum creator noster est, sed et redemptor.[178*] Incarnatio enim Dei et summa illa delectio, quam moriendo nobis exhibuit, in summum amorem eius nos accendit. Et hoc est "in spem vite eterne", id est que pietas ducit ad vitam ęternam, que ab illis[b] utique speranda est, qui hunc amorem habent.

"Quam", videlicet vitam eternam, "promisit" Deus, qui nescit mentiri. Et hoc "ante tempora secularia", id est ante tempora, que cum mundo inceperunt. Et dicit tempora secularia quasi ad differentiam illius durationis eterne, que mundum precessit, que quodammodo tempus posset appellari.

"Manifestavit". Promisit ante tempora secularia, sed "manifestavit", id est revelavit, quod videlicet de salute nostra ab eterno in mente habuit. "Temporibus suis", id est in illis temporibus, que ipse et non aliis ad hoc preordinavit. Et quid manifestavit? "Verbum" videlicet "suum", id est Filium suum, quem misit incarnari. Verbum enim, quod ita revelavit, non fuit verbum transitorium, ut supra meminimus, sed de quo dicitur: Eructavit cor meum verbum bonum.[939] "In predicatione", id est per predicationem. "Que", videlicet predicatio, "credita", id est commendata est michi. Et hoc "secundum preceptum salvatoris nostri Dei", quia ego non emi apostolatum meum, sed coactus suscepi sicut ille, qui bene fui in via a Domino colaphizatus.

---

[a] veritate, id est de] *inter lineas* [b] ab illis] *inter lineas*

---

[939] Psalm. 44,2

[178*] Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom lib.* 2 c. 3 (PL 178,836AD), *Theologia christiana lib.* 4 (PL 178,1278D sq.); *Sent. Herm.*, c. 23 (PL 178,1730 B sqq.)

"Dilecto filio Thito". Mandat, subaudis, Thito, "dilecto filio", non secundum carnem, sed "secundum fidem communem", id est catholicam, que Christi est, in qua te Deo genui.

"Gratia et pax" etc., ut in aliis expositum est.

"Huius rei" etc. Finita salutatione a re, de qua intendit, incipit et a correctione exordium sumit. Debetis enim scire, quod Thitus iste in aliis corrigendis nimis remissus fuit, sive quia nimium patiens erat, sive quadam animi pusillanimitate, quia iste multum pusillanimis erat in corectione aliorum, quia multos videbat ad fidem conversos retroire. Ideoque apostolus ei scribit, ut amodo sua auctoritate securius arguat, corrigat et omne inemendatum in vita subiectorum emendet. Et inde incipit dicens: O Thite, ego "reliqui", id est dimisi, te, "Crete", id est in terra illa, "gratia huius rei", id est causa huius rei, "ut" videlicet "ea, que desunt", id est, que eo modo fiunt, quo non oportet, que videlicet ad deesse, id est ad destructionem hominis tendunt, "corrigas", id est viriliter arguas et emendes et "contituas", id est ordines, "per civitates", scilicet Cretenses, "presbiteros". Sub presbiteris accipit tam presbiteros quam episcopos, sicut et sub episcopis et episcopos solet accipere et presbiteros. "Sicut et ego". Ita, dico, constituas, "sicut et ego disposui tibi", id est eo modo, quo ego te docui presens presentem.

"Si quis sine crimine". Docet ut supra, quales debeant constitui, acsi diceret: Tales constituas, sicut ego tibi disposui. "Si quis" videlicet "sine crimine". Non dico: Sine peccato, sed "sine crimine", id est sine nota magni peccati, quod cognitum personam reddat infamam. "Unius uxoris vir", ut supra. Non sit bigamus, sed monogamus. Quia, si duas haberet, magis in eo notaretur, ut supra memini,[940] libidinis intemperantia. "Habens filios fideles", id est obedientes per omnia, ut ita in illo possit repperiri consilium Domini, qui ait: Qui fidelis est in minimo, fidelis erit etiam in maiori.[941]

---

[940] 1 Tim. 3,2 [941] Luc. 16,10

In filiis enim[a] sepe patris notatur industria. "Non in accusatione luxurie", id est non tales, qui de luxuria sint notati. "Non subditos", id est, qui sint inobedientes.

"Oportet enim". Et bene dixi: Si quis est sine crimine, quia "episcopum oportet sine crimine", id est talem, qui infama aliqua non notetur. "Sicut dispensatorem", id est sicut illum, qui habet ea, que Dei sunt, dispensare, qui in specula omnium constitutus est et in quem oculi omnium diriguntur, ut eum in exemplum sumant.

"Non superbum", qui videlicet arroget esse super equales. "Non iracundum", id est, qui soleat irasci. "Non vinolentum", qui soleat vino inebriari. Per vinum, sicut per siceram, accipitur omnis potus, quo potest inebriari, sive sit de frugibus sive aliunde. "Non percussorem", id est gladiatorem. "Non turpis lucri", quod fit, quando videlicet aliquis quocumque modo pecuniam pro avaritia congregat.

"Sed hospitalem", id est, qui soleat hospitari. "Benignum", qui ex misericordia de suo aliis inpendat. "Prudentem", id est discretum, quod exponit per "sobrium", id est servantem modum in omnibus, que facit. "Iustus", qui videlicet soleat unicuique suum reddere. "Sanctum", id est religiosum. Et est replicatio sententie in verbis diversis. "Continentem", id est qui ex toto sit continens. "Amplectentem", id est qui facit amplecti, id est exponere et predicare sermonem, non dico sermonem dialectice vel rethorice, sed "eum, qui est secundum fidelem doctrinam", id est eum sermonem, qui ad edificationem hominis spectat, qui et hominem fidelem facit. "Ut potens exortari". Amplectentem, dico, ita, "ut" videlicet possit "exortari" alios, qui iam edocti "in doctrina sana", id est in doctrina Christi, que nichil erroris habet. "Et eos". Et non solum exortari, sed etiam "arguere", id est corrigere "eos, qui contradicunt", id est homines obstinatos, qui videlicet Christo contrarii sunt.

"Sunt enim". Acsi diceret: Et tales volo, ut constituas episcopos, qui et alios exortentur, ut maxime, qui arguant,

---

[a] enim] *add.* notatur

quia videlicet in terra illa "multi sunt inobedientes", id est qui Christo nolunt obedire, "vaniloqui", id est fabulis intenti, "et seductores", qui videlicet alios seducunt, quibus non sufficit ire ad inferos, nisi et alios sibi socios faciant. "Maxime" scilicet inobedientes sunt, qui videlicet "sunt de circumcisione". Iudei enim maxime etiam ad fidem conversi ad hoc semper nitebantur, ut legis cerimonie in ewangelio servarentur, sine quibus hominem non posse salvari astruebant. Quibus iste apostolus precipue resistebat.

Et modo, ut et Thitus eis viriliter resistat, adortatur. Et hoc est "quos", id est qui, videlicet tales, "oportet redargui", id est vehementer corripi. Qui videlicet "domos universas subvertunt", de quibus superius dixit, quia domos penetrant et captivas ducunt mulierculas, quia suas hereses comuniter in ęcclesia predicare non audent, sed privatim domos intrantes occulte predicant, que non oportet, et a mulieribus incipiunt, ut per mulieres viros seducant. "Docentes, que non oportet", id est, que docenda non sunt. Et hoc "gratia", id est causa lucri turpis, || quia pro avaritia pecuniam thesau- 160v
rizant, ut divites sint in terrenis.

"Dixit quidam" etc. Quod autem illos argui oporteat, hoc etiam convincit apostolus testimonio cuiusdam eorum poete, quem eorum prophetam appellat, quia apud illos in tanto honore habebatur, ut si propheta esset.

Continuatio: Et vere oportet illos redargui, quod et apparet ex testimonio cuiusdam eorum poete, quia "dixit quidam ex illis", id est ex Cretensibus, "proprius eorum propheta", id est familiaris eorum poeta, quem in honore habebant ut prophetam. "Cretenses". Ecce, quid de illis dixit: O Cretenses, "semper mendaces", qui etiam, ut in actoribus legitur, perhibentur de Iove finxisse multa. "Male bestie", id est bestialiter viventes. Et non solum dicit: Bestie, sed et male, quia et sibi nocent bestialiter vivendo et alios seducunt, que non oportet, predicando. "Ventres pigri". Et vere male bestie, quia sunt "ventres pigri". Sunt enim tria genera animalium. Quedam namque toto pectore et ventre reppunt, que et proprie reptilia appellantur. Quedam vero

ex toto se in acre extollunt nec terram tangunt, ut aves. Quedam autem in medio sunt collocata, que nec toto corpore reppunt nec omnino a terra se erigunt, ut ea, que pedibus ambulant.[a] Per aves autem designantur illi, qui ex toto terrena relinquentes ad celestia suspirant, quorum videlicet, ut dicit apostolus, conversatio in celis est.[942] Per gressibilia vero, que terram in parte tangunt et partim in aere sublevantur, significantur coniugati, qui nec omnino in terris submerguntur nec omnino ad celestia extolluntur. Per reptilia autem, que ex toto reppunt, significantur illi, qui penitus postposito celo temporalibus se implicant et mortui in peccatis de Deo quicquam non intendunt. Quales Cretenses dicit, quos ventres pigri appellat, quia toto ventre terram tangunt nec quicquam se ad celum erigunt, tamquam sint ex toto reptilia.

"Testimonium". Commendatio est testimonii, quod induxit. Acsi diceret: Et bene hoc induxi, quia videlicet "hoc testimonium", cuiuscumque sit, "verum est", id est in se manifestam habet veritatem.

"Quamobrem". Quia videlicet tales illi sunt, ergo "increpa", id est argue illos non pusillanimiter, sed "dure", id est cum rigiditate iustitie, ut decet episcopum, quem non convenit supra modum remissum esse. Et ad hoc increpa, ut videlicet "sani sint in fide", id est ut inprimis sane credant nec in fide scismata aliqua faciant. Item, ut "non" sint "intendentes", id est, ut non intendant "iudaicis fabulis", que supra posite sunt de genealogiis,[943] in quibus et ipsi decipiuntur iudei, qui etiam, ut supra memenimus, fingunt Adam[b] duas habuisse uxores. "Et mandatis", quia dicunt a carne porcina ex toto abstinendum esse et ceteras legis observantias tenendas esse nec aliter hominem posse salvari. Quibus penitus resistendum est, quia hec mandata Dei non sunt, sed "hominum" perversorum, qui non percipiunt, que Dei sunt. Hominum, dico, "adversantium", id est separantium se "a veritate", id est a Christo et a vera eius doctrina.

---

[a] ut ea, que pedibus ambulant] *in margine* [b] Adam] *inter lineas*

---

[942] Philipp. 3,20 [943] 1 Tim. 1,4; Tit. 9,3

Abstinere autem a carne porcina fuit mandatum Dei ad tempus, cui amplius obediendum non est, quia usque ad Johannem lex et prophete.[944]

"Omnia munda mundis". De escis dictum est, acsi dicatur: Mundis, id est fidelibus nullus cibus nocet ad salutem. Qui enim puram habet conscientiam, quemcumque comederit cibum, non ei ad salutem nocebit. "Coinquinatis". Mundis omnia munda sunt. Sed "coinquinatis", id est immundis, quod exponit "et", pro id est, "infidelibus", id est, qui fidem Christi non habent, "nichil mundum est," id est nullus cibus prodest eis ad salutem. "Sed inquinate". Et vere nichil mundum, "sed", id est quia, "eorum mens" etc., "inquinate", id est contaminate sunt. Conscientia est expositio mentis.

"Confitentur". Et vere inquinate sunt, quod inde apparet, quia videlicet "confitentur se nosse Deum", id est astruunt se in Deum credere, sed tamen, quod ore predicant, opere omnino destruunt. Et hoc est "factis", id est operibus suis pravis, "negant", id est negationem Dei habent. "Cum" videlicet "sint abhominati", id est ab humanitate remoti, iam in leonem vel in aliud inrationale, quod a philosophis dictum est, secundum vite qualitatem transformati. "Incredibiles", id est tales, quibus credi non debet. "Et ad omne" etc., id est pigri ad omnem bonam operationem.

---

[944] Luc. 16,16

[Cap. 2]

"Tu autem". Acsi diceret: Sed quicquid illi agant, "tu loquere" et in docendo sive in exortando et in corrigendo "ea" videlicet, "que decent sanam doctrinam", id est, que doctrine Christi conveniunt, que sana est, quia nullum erroris angulum habet.

"Senes" etc. Et quid debeat loqui, docet secundum etates singulas a senibus incipiens. Et hoc est "senes ut sobrii sint", id est non multo vino sint dediti. "Pudici", non ut ex toto sint continentes, sed si uxores habent, eam servent continentiam, que decet coniugium. Turpe est enim senem luxuriosum esse, ut videlicet, qui iam in se defecit, in vitio non deficiat, sed ex ardore libidinis id faciat, quod ei iam natura negavit. "Prudentes", id est non sint insipientes, sed alios docentes et exortantes. "Sani in fide", id est, ut de fide bene sentiant. "In dilectione", id est, ut proximum diligant. "In patientia", id est, ut patientes sint, quia multa senem circumveniunt incommoda.

"Anus". Qualiter et anus instruat, similiter docet, ut videlicet[a] sint "similiter", sicut et senes, "in habitu sancto", id est non lecatorio, sed, qui sanctas deceat mulieres, ut non ex luxuria vestium luxurietur caro et sibi placens subito in libidinem excedat. Turpissimum enim est vetulam lecatricem esse, cum de iuvencula quoquo modo tolerabilius sit.

"Non criminatrices", quia sexus iste in hac etate maxime litigiosus est et novorum in alios inventor criminum. "Non multo vino servientes", id est dedite. Hec enim ętas multum inebriari solet. "Bene docentes". In superioribus interdixit apostolus, ne mulieres docerent. Sed hoc quidem de predicatione communi in ęcclesia intelligitur. Illud vero, quod hic dicitur, de eruditione et disciplina super familiam domesticam intelligendum est.

---

[a] ut videlicet] *add.* ut videlicet

"Adolescentulas". Post anus ad iuvenculas transit et qualiter ille ammonende sint, dicit. Acsi diceret: Et "adolescentulas", id est iuvenculas, roga, subaudis, "ut" videlicet "viros" etc., id est maritos suos diligant, et "filios suos" etc., id est bene nutriant et ament. "Prudentes", non stultas, sed callidas, ne possint seduci. "Castas", non ex toto continentes, sed servantes, ut paulo ante diximus, coniugii castitatem, ut videlicet in usum carnis non se concedant nisi viris suis. "Sobrias" in cibo et potu. "Domus" etc., id est de familiis suis sollicitudinem habentes. "Benignas", id est misericordes, ut videlicet libenter elemosinas faciant. "Subditas viris", id est ex toto viris suis obedientes. "Ut" videlicet "non blasphemetur", id est arguatur, "verbum Dei", id est predicatio Christi. Quedam enim solebant se viris suis subtrahere dicentes christianos non decere talem vitam ducere. Viri vero, qui et tunc temporis sepe infideles erant, ceperunt doctrinam Christi maledicere, que sibi suas auferebant uxores. Quod et prohibet apostolus, ne fiat, quia hac etiam occasione multe viros suos relinquerent non causa Dei, sed ut possent luxuriari. Ita et de servis erat, qui post baptismum se nemini servire debere astruebant, sed ab omni iugo servitutis se omnino liberos esse. Quod et in pluribus locis apostolus interdicit.

"Iuvenes". Et non solum illas hortare etates, sed et "iuvenes" ammone, "ut" videlicet "sobrii sint" tam in verbis quam in exemplis.

"In omnibus" etc. Acsi diceret: Et ut predicatio tua auctoritatem habeat, "in omnibus", quecumque videlicet doces, "prebe" etc., id est te ipsum da omnibus exemplum manifestum, "bonorum" videlicet "operum", que aliis persuades. Et hoc "in doctrina", id est in docendo; "in integritate, in gravitate", id est in integra gravitate, hoc est in dilectione, que Deum finem constituat, que hominem gravem, id est immobilem, quodcumque immineat periculum, a suo reddit proposito. Et "verbum" tuum sit "sanum" et ita "irreprehensibile". Non enim sufficit bonum sensum habere in verbis, nisi verba etiam ad hoc, quod dicitur, sint idonea. "Ut"

ita "is", qui etiam "ex adverso est", id est contrarius est Christo, "vereatur", id est veneretur te in corde suo, "nichil" etc., id est non habens, unde nobis detrahat.

"Servos". Quomodo servos instruat, nunc ponit, acsi diceret: Et non solum eos, qui dicti sunt, ortare, sed etiam "servos" ammone "subditos", id est omnino dominis suis obedientes esse. Nonnulli enim, ut dixi, post baptismum dicebant se ex toto liberos esse nec amplius ex iugo servitutis alicui servitium debere impendere. "In omnibus placentes", id est et temporalibus et spiritualibus, "non contradicentes" in aliquo, quod videlicet contra Deum non sit. "Non fraudantes", id est non fraude aliqua bona illorum diminuentes. "Sed in omnibus" etc., id est fideles existentes, "ut" videlicet ita omnes, qui positi sunt senes quidem et ceteri, "ornent doctrinam" etc. Familia quippe bene ordinata ornamentum Domini est.

"Apparuit enim". Dixit omnes communiter amonendos esse. Quod probat recte fieri, quia videlicet "apparuit", id est manifeste revelata est, omnibus videlicet hominibus, sicut ab ęterno preordinata fuit, "gratia salvatoris nostri", id est redemptio, que a salvatore nostro gratis nobis facta est, qui non solum incarnatus est pro nobis, sed etiam passione vilissima mortuus est. Gratia, dico, "erudiens nos", id est per mortem illius ammonens, "ut" videlicet "abnegantes impietatem et secularia desideria", id est respuentes impia desideria seculi, que videlicet hominem per consensum in peccata trahunt, ne illis quidem subiaceamus. "Sobrie", quod exponit, id est "et iuste" reddendo proximo, quod debemus, "et pie", similiter Deo, quod debemus, persolvendo, "vivamus in hoc seculo". Et ita de nobis nulla querela erit.

"Expectantes". Diceret aliquis: Sed quomodo durare possumus inter tot adversa. Bene utique, quia "expectantes beatam spem", id est beatitudinem vite ęterne, que iustis speranda est, "et adventum glorie", id est gloriosum adventum magni Dei. Deus enim in primo eius adventu quasi parvus fuit, id est humilis, veniens in similitudinem carnis

peccati[945] et ita adventus ille humilis erat, quod divinitas paucis innotuit. Secundus vero adventus || gloriosus erit et 161r
excellens et quasi magnus tunc apparebit Deus, cum videlicet in virtute magna et maiestate[946] ad iudicandum venerit.

"Qui", videlicet Christus Jhesus. Ecce ostendit, quomodo salvator fuit. "Dedit", Deo videlicet Patri, non aliam hostiam, sed "seipsum pro nobis, ut" videlicet "redimeret nos ab omni iniquitate", id est ab omni iugo peccati tam originalis quam actualis, "et" ita "mundaret", id est purgaret, "sibi", ad gloriam suam, "populum" et per mundationem "acceptabilem sectatorem", id est assiduum factorem "bonorum operum".

Et "hec", que iam dixi, "loquere et exortare", id est predica et docendo et exortando. "Et argue", id est corripe obstinatos, "cum omni imperio", sicut decet Dei dispensatorem. Et hoc mea deinceps auctoritate, quantumcumque hucusque laxus in corripiendo fueris et remissus.

"Nemo te contempnat". Acsi diceret: Et ego non solum in his, que dicta sunt, sed et in his, que iam subiungam, precipio, "ut" videlicet "nemo te contempnat", id est spernat.

---

[945] Rom. 8,3 [946] Matth. 24,30

[CAP. 3]

Et hoc est "amone illos" etc., "dicto", id est precepto illorum "obedire ad omne" etc., id est, ut velint omne opus bonum facere, etsi non[a] faciant. "Neminem blasphemare", id est in blasphemiam ducere; "non litigiosos", id est contentiosos esse; "sed modestos", quod exponit dicens: "ostendentes omnem mansuetudinem", id est omnem patientiam, "ad omnes homines" tam fideles quam infideles.

"Eramus enim". Quasi dicat: Et debemus mansueti esse ad omnes et cum patientia omnes supportare, quia "et nos eramus" etc., id est tales, quales illi sunt modo, "insipientes", id est nullum saporem de Deo habentes. Quod exponit "et", pro id est, "increduli", id est infideles, "errantes", id est credentes faciendum esse, quod faciendum non erat, et ita errabamus. "Servientes" etc., id est subiecti ex toto tamquam servi, a quibus et trahebamur, quia pre consuetudine iam nobis dominabantur. Desideria autem exponunt per voluptates. "In malitia" etc., id est non solum malitiosam invidiam habentes in corde, sed inde etiam in opus perversum prorumpentes. "Odibiles", id est digni haberi odio. "Odientes invicem", id est unus alterum.

"Cum autem". Tales eramus. Sed "cum apparuit benignitas" etc., id est, cum gratia, quam de salute nostra ab ęterno ordinaverat per assumptam humanitatem,[b] manifestata fuit cum predicatione ipsius, tum predicatione apostolorum, tandem re ipsa per exhibitionem summe dilectionis moriendo pro nobis, tunc "salvos nos fecit", et hoc "non ex operibus iustitie, que fecimus nos", id est non ex nostris operibus, que nos iustificarent, a quibus initium nostre salutis non fuit, sed a gratia ipsius. Non ex operibus, dico, "sed secundum misericordiam suam", quia, ut beatus dicit Jeroni-

[a] non] *inter lineas* [b] per—humanitatem] *in margine*

mus,[947] quos salvare non potest iustitia, salvat misericordia. "Per lavacrum regenerationis". Salvos, dico, fecit hoc modo, "per lavacrum" videlicet "regenerationis", id est per sacramentum baptismatis, quod in sua instituit ęcclesia, quo ei regeneramur ad vitam, qui primum a parentibus generati eramus ad gehennam. "Et renovationis". Hoc subiungit, ne videretur alicui, quod illa exterior sufficeret ablutio, qualiscumque maneret mens interius. Et hoc est "et per renovationem Spiritus Sancti", id est per amorem Dei, qui sanctificat, in quo debet homo de die in diem renovari. De qua renovatione dictum est supra: Qui renovatur cotidie in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum.[948]

"Quem" videlicet Spiritum Sanctum, id est quem amorem Dei, ipse Deus "effudit", id est impertivit nobis per Christum, id est per mortem Christi Jhesu et ita[a] salvatoris nostri. Et hoc "habunde", non solum quia qui iusti a vita ista exeunt, non differuntur a regno, sed statim sine omni dilatione ingrediuntur ad gloriam sicuti priores, qui, quantumcumque iusti moriebantur, ad inferos ibant tam prophete quam patriarche et ceteri electi usque ad Christum, verum etiam in maioribus donis et cognitione Dei maiori nos illos convincimus, quia, ut beatus dicit Gregorius,[949] in gradibus ęcclesie dinoscetur Deus et pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia. Moyses enim plus de Deo novit quam eius antecessores. Cui dixit Dominus: Nomen meum Adonay non revelavi aliis sicut tibi.[950] Item David plus de Deo scivit quam Moyses. Unde ait: Super omnes senes meos intellexi,[951] super omnes docentes me intellexi.[952] Item, apostoli maiorem de Deo habuerunt notitiam quam illi, de quibus ipsa veritas ait: Multi reges et prophete voluerunt videre, que vos videtis et non viderunt, et audire, que auditis,

---

[a] ita] *in margine*

---

[947] Hieronymus, *Commentariorum in Michaeam lib.* 2 c. 7 (PL 25, 1230) [948] Coloss. 3,10 [949] XL *Homiliarum in evangelia lib.* 2 hom. 34 n. 11 (PL 76,1252). [950] Exod. 6,3 [951] Psalm. 118,100 [952] Psalm. 118,99

et non audierunt.[953] Item apostolus: Nos autem primitias spiritus habentes,[954] id est habundantiora dona Dei quam omnes alii, quibus et maiorem de se debit Deus cognitionem et genera linguarum et dona miraculorum multo excellentiora. "Ut iustificati". Quem effudit, dico,[a] habunde, "ut" ita "iustificati gratia ipsius simus heredes vite eterne", id est eterne beatitudinis, "secundum spem", id est que vita ęterna heredibus speranda est.

"Fidelis sermo", id est talis, cui fides adhibenda est, quem videlicet iam dicam. Et hoc est, quod supponit, "et de his", que videlicet dicta sunt, "volo te confirmare", id est volo, ut et tu alios etiam confirmes, "ut" et illi, qui iam "Deo credunt, curent preesse bonis operibus", id est solliciti sint bona facere opera, bene docendo, bene exortando et in omnibus se ad exemplum proponendo. "Hec". Dixi, ut curent bonis preesse operibus, et bene, quia "hec bona" sunt in se "et hominibus utilia".

"Stultus autem". Acsi diceret: Loquere, exortare, que dicta sunt. Sed ista "devita", stultas videlicet "questiones", quas iudei de lege, cui a tempore Johannis nulla debetur obedientia, faciebant dicentes: Omnis anima, que circumcisa non fuerit, peribit de populo meo.[955] "Et genealogias". Unde iudei cotidie contendebant dicentes: Ego de illa et illa tribu sum. Et ideo iuxta dignitatem tribus debeo etiam dignior et melior existimari. "Et contentiones". Exponit stultas questiones iudeorum de lege per contentiones et pugnas legis. Et ideo ex toto vitande sunt, quia non habent nisi[b] litigia, nichil quidem utilitatis.

"Sunt enim". Et merito vitabis questiones istas, quia "sunt inanes et", pro id est, "vane", id est nullum fructum habentes.

"Hereticum". Et non solum stultas legis contentiones devita, sed etiam "devita hominem hereticum post unam" etc., id est postquam semel et bis eum corripueris de sua obstina-

[a] dico] *inter lineas* [b] nisi] *inter lineas*

[953] Luc. 10,24 [954] Rom. 8,23 [955] Gen. 17,14

tione et noluerit redire. Tu, dico, "sciens", id est attendens, quia "subversus", id est ex toto a Deo separatus es, qui videlicet "huiusmodi est", id est talis est. Quod exponit "et", pro id est, "delinquit", id est peccat, "condempnatus proprio iudicio", id est iudice conscientia. Ecce diffinitur.[a] Non est enim hereticus, nisi ex contentione, quia, ut beatus dicit Augustinus,[956] quocumque modo quis adquieverit, non est hereticus, nisi ex contentione.

Si quis ergo credat ęcclesiam errare, que dicit verum corpus et veram sanguinem Domini esse, quod in altari habetur, sicuti fortasse nonnullis videtur, qui potius astruunt speciem esse quam rem, cum nemo contra conscientiam facere[b] debeat, et, qui facit, peccet, queritur, an huiusmodi hereticus dicendus sit. Nequaquam. Ęcclesia tamen, si sciverit, pro heretico habere debet.

Queritur, an ille credere debeat, quod non credit.—Debet utique.
Contra conscientiam igitur credere debet?—Falsum est. Tale quippe est:[179*] Homo, qui predestinatus est, potest dampnari; non tamen predestinatus dampnari. Non enim potest esse, ut et predestinatus sit et dampnetur. Ad hunc modum debet et iste credere, quod non credit. Non tunc in hac manens conscientia debet, cum tamen simpliciter debeat. Potest enim et conscientiam illam mutare et credere, quod non credit.
Si ergo in hac conscientia moriatur, queritur, an dampnetur.—Ita quidem, etsi non peccaverit. Sola[180*] enim ignorantia sive error ad dampnationem sufficit.

"Cum misero". Acsi diceret: De his, que dicta sunt, cogita,

---

[a] Ecce diffinitur] *inter lineas et in margine* [b] facere] *in margine*

---

[956] Augustinus, *Epistolarum Classis II* ep. 43 c. 1 n. 1 (PL 33,160); *De Civitate Dei lib.* 18 c. 51 n. 1 (PL 41, 613); *De gestis Pelagii* c.6 n. 18 (PL 44,331).

[179*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Romanos lib.* 2 c. 3 (PL 178,837B sq.) [180*] Cf. Abaelard., *Ethica* c. 14 (PL 178,656A)

sive de tua instructione sive de eruditione subiectorum. Sed, "cum misero" ad te hunc vel illum, "festina ad me venire", ut, si quid deest presens, intelligas, "Nicopolim", id est civitatem illam, ubi me invenies, quia "statui", id est proposui, ibi "hiemare", id est per hiemem manere. Et ab hac civitate scripsit ei hanc epistolam.

"Zenan" etc. Et antequam tu venias, istos premitte "sollicite", id est cum magna sollicitudine, "ut" videlicet "nichil desit illis", id est non desit eis viatcum, sed omnia habeant necessaria.

"Discant autem". Diceret aliquis: Et unde habebunt necessaria? Cretenses quidem "discant", id est ammoneantur non solum illis subvenire, sed etiam per istos pro nostris bonis operibus, que apud illos sunt, ad usus necessarios de suis nobis[a] mittere beneficiis, "ut", videlicet ipsi, "non sint" nobis "infructuosi", imo utiles, quemadmodum cetere gentes.

"Salutant". In fine more suo suas ponit salutationes dicens sanctos, qui secum sunt, eum salutare. Item rogans,[b] ut et ipse eos, qui apud eum sunt, salutet fratres.

"Gratia" etc., id est aliquod donum Dei supra merita. Amen.

---

[a] nobis] *inter lineas* [b] rogans] *inter lineas*

[In epistolam ad Philemonem.]

"Paulus"[a] etc. Privatas litteras facit apostolus, quas mittit Philemoni rogans eum pro servo suo Onesimo. Iste enim Onesimus servus illius cum infinita pecunia, quam ei furatus est, fugit et tandem expensa pecunia Romam veniens inter ceteros, quos apostolus in carcere quidem positus ad fidem convertebat, conversus est, et iste, hac fortasse occasione, ut apostolus eum domino suo reconciliaret, sciens, quia dominus suus, qui iam christianus erat, multum diligebat apostolum. Rogat ergo apostolus Philemonem dominum illius, ut, si quid dampni ei fecerit, condonet et amorem suum illi reddat. Et ipse quidem de sublata respondebit pecunia pro filio, quem ipse in vinculis genuit.

Et in ipso sue salutationis exordio de cathena sue incarcerationis annectit, ut eum magis ad misericordiam alliciat. Et hoc est "Paulus" iam "vinctus Christi Jhesu", id est in vinculis positus pro Christo Jhesu. Et ideo, frater, pro eo, quod rogo, magis debes ad misericordiam moveri, ne tristitiam super tristitiam me facias habere. "Et frater", in fide videlicet, "Thimotheus". Istum secum in salutatione ponit, quia homo magne erat auctoritatis et Philemoni multum notus, ut et propter ipsum servo suo velit reconciliari.

"Philemoni dilecto", quem videlicet in Domino multum diligimus, "et adiutori nostro", quia iste homo potens et dives in multis subvenerat apostolo. "Et Apie sorori". Uxorem eius Apiam nomine, quam et sororem in fide appellat, in salutatione annectit, ut et ipsa apud || maritum suum veniam im- 161v
petret pro servo, quia mulieres miro modo sciunt suos allicere viros.

"Et Archippo". Archippus illius civitatis episcopus erat. Quem et ipse in salutatione ponit, ut et illum tamquam parochianum suum ad veniam trahat. Et non in primis ponitur,

[a] Paulus] aulus

quia littere iste ad ęcclesiam illam, cui ille preerat,[a] non destinantur, sed ad personam supra nominatam.

"Et ecclesie", id est fidelibus, qui sunt "in domo tua", id est de familia tua.[b] Hii similiter ponuntur, ut et ipsi dominum suum de danda rogent misericordia. "Gratias" etc. Ab actione gratiarum more suo incipit dicens se Deo gratias agere, qui illum talem fecit, et in orationibus suis "semper" illius habere memoriam audita caritate et fide, quam habet in Domino. Et hoc est "gratias ago Deo meo", qui videlicet michi propitius est. "Semper memoriam" etc. Iste enim magne potentie homo erat, et, ut supra memenit apostolus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, maxime orandum est, in quibus pendet plurima et strages et salus populi.

"Audiens". Diceret aliquis: Et unde agis tu gratias Deo? "Audiens" quidem etc., id est audita caritate tua et fide, "quam" videlicet caritatem sive fidem "habes in Domino Jhesu", id est per Dominum Jhesum. Et hoc "in omnes sanctos", quibus fidem tuam et caritatem exhibes benigne eos suscipiendo et necessaria quecumque eis ministrando.

"Ut communicatio". Acsi diceret: Et ita in omnes sanctos, "ut" videlicet "communicatio fidei tue", id est fides tua, quam habens bona tua sanctis communicas, "evidens fiat", id est iam sit manifesta, "in agnitione omnis boni", id est in omni bono, quod iam in vobis cognitum est in aministratione sanctorum. Et hoc "in Christo Jhesu", id est pro Christo Jhesu, quem finem omnium, que facis, constituis; ad cuius gloriam, quicquid agis, accomodas.

"Gaudium enim". Ago, inquam, gratias et merito, quia ego "magnum" etc., id est multum gavisus sum et consolatus sum in pressuris meis, "in caritate tua", id est pro caritate tua, quam audieram te habere. Quod inde apparet, quia videlicet "viscera sanctorum", id est filii sanctorum, quos videlicet Deo genuerunt in fide, quos tamquam propria viscera favent et diligunt, "requieverunt per te, frater", id

---

[a] cui ille preerat] *inter lineas* [b] id est de familia tua] *inter lineas*

est sepe consolati sunt in tuis beneficiis, que eis conferebas. Et nota apostolum ista caute inducere, ut citius illi voluntatem immittat.

"Propter quod". Quia videlicet tam magna in te caritas est, tam magna fides, ego "habens multam fiduciam", id est magnam fiduciam "imperandi", id est precipiendi tibi "id, quod ad rem pertinet", id est, quod ad presens spectat negotium, "propter caritatem magis". Acsi diceret: Sed quamvis possim imperare, tamen propter dilectionem, quam invicem habemus, potius volo te obsecrare. Et hoc est "propter caritatem", que in nobis mutuo est, "magis obsecro", id est precor potius quam impero. Et presertim, "cum" videlicet "sis talis" etc., id est senex sicut et ego, et ideo non debeo, etsi cetera taceam, repulsam a vobis incurrere. Senex enim pro reverentia sua exaudiendus est et maxime a sene, ut ita voluntate concordent sicut et etate.

"Nunc". Et non solum senex, sed etiam "nunc vinctus" etc. Istud, quod multum movet eum ad veniam, repetit more sollertis oratoris, qui, quod in causa sua plurimum iuvat, sepius ponit.

"Obsecro". Istud *obsecro* idem est cum primo, sed propter interpositionem eorum, que, ut magis auditor alliciatur, interseruntur, repetitum est, acsi diceret: Et ego ita confisus pluribus de causis "obsecro te" etc. Et ecce cum ostenderit se talem esse, qui exaudiendus est, quia et senex est et vinctus est Christi Jhesu, et eum iterum talem, quem obsecrat, ut debeat exaudire, ostendit illum, pro quo obsecrat, talem esse, cui condonandum est, quia iam filius est, non solum apostolo, sed et Philemoni deinceps multum utilis. Et hoc est "pro filio meo". Et vere filio, quia "genui" eum Deo, videlicet in fide. Et hoc "in vinculis", id est in cathena positus. Et per hoc carior videtur filius, quia quanto maiori pressura res adquiritur, tanto amplius diligi solet.

"Qui tibi aliquando inutilis". Non dicit: Qui tibi surripuit pecuniam, sed temperantius dixit: Qui tibi inutilis fuit, et hoc aliquando. Quasi dicat: Non sepe, ut rem ipsam, quantum potest, verbis alleviet. "Nunc autem". Aliquando inu-

tilis fuit, sed "nunc", id est amodo erit utilis et tibi et michi. "Quem", videlicet Onesimum, iam, "remissi" ad te.

Et ideo tu quidem, suprapositis videlicet[a] de causis, "suscipe illum" tamquam "viscera mea". Quod exponit supponens "filium meum, quem ego" etc., mecum retinere, "ut" videlicet "pro te", id est loco tui, "ministraret" etc., quia et tu quidem, si adesses, michi ministrares. Et hoc "in vinculis
162r ewangelii". Acsi diceret: Et rationabiliter poteram eum[b] || retinere, cum tanta incumberet necessitas. Sed tamen "sine consilio tuo" etc., id est sine tua deliberatione, nolui illum mecum habere, ne videlicet "bonum tuum", quod ille quidem michi ministraret, quod utique bonum tuum esset, potius ex necessitate videretur esse quam ex voluntate, si videlicet eum sine tuo detinerem arbitrio, cum quasi, velles nolles, videreris id facere.

"Forsitan enim". Suscipe, dico, etsi ad horam[c] a te recesserit, quia "forsitan ideo", id est hac utilitate, "discessit" id est recessit, non ut eum ex toto amitteres, sed,[d] "ut" videlicet "reciperes illum ęternum", id est semper tecum mansurum. Et hoc "iam" amplius "non ut servum" tantum, imo, quod multo plus servo est, "carissimum fratrem". Et "maxime" carissimum "michi". "Quanto autem". Acsi diceret: Et vere plus servo, quia iam non solum in carne coniunctus est tibi,[e] sed et in Domino, in fide videlicet Christi. Utrique enim ab Ismaele venientes de eadem erant progenie, a qua et ipsum licebat habere servos. Et hoc est quia "quanto magis" etc., id est quanto magis tibi et in carne et in Domino affinis est, tanto plus servo tibi habendus est.

"Si ergo" etc. Sacramento constringit eum, ut videlicet, sicut desiderat societatem illius in fide habere, ita et illum, pro quo obsecrat, suscipiat, quemadmodum ipsum susciperet.

---

[a] videlicet] *in margine* [b] eum] *Finitur hic columna prima folii 161v. Columna secunda iam habet initium commentarii in epistolam ad Hebraeos. Affixa sunt tamen duo folia minora 162 et 163 continentia ea, quae desunt expositionis epistolae ad Philemonem.* [c] horam] horram [d] "discessit"—sed] *inter lineas et in margine* [e] tibi] *inter lineas*

Et hoc est "si ergo", quasi dicat: Et quia talis est iste, pro quo rogo, "ergo si habes", si vis habere me socium in fide videlicet Christi Jhesu, "suscipe" etc., id est eo animo eum suscipito, quo me susciperes, si venirem ad te.

Et si ipse "aliquid nocuit tibi aut debet" tibi aliquid, "hoc michi imputa", quia ego tibi reddam.

"Ego Paulus". Posset ille dicere: Et quomodo certus ero, quod tu dampnum meum michi restitues? Ecce scripto, quod propria manu feci tamquam cirographo iam confirmavi, quod ego redderem. Et hoc est "ego Paulus propria manu scripsi", hec videlicet verba, quia "ego reddam" tibi, "ut non dicam", acsi diceret: Dico me redditurum, "ut" videlicet "non dicam tibi", sed ut temperantius loquar, cum tamen possem dicere, quod videlicet non solum tua, sed et "teipsum michi debes". Iste enim predicatione apostoli ad fidem conversus est.

"Ita, frater" etc. Alia adiuratio est, acsi diceret: Et sicut vis, ut "ego te fruar in Domino", id est diligam et propter Deum, ita "refice viscera mea", id est benigno animo meum suscipe filium, in cuius susceptione reficies animam meam, que adeo pressuris commota est.

Nota, quod inter frui et uti beatus Augustinus[957] differentiam facit, quia uti, inquit, dicimus aliquo in aliqua re delectationem habere propter aliud; frui vero aliquo delectari in eo propter se, quod soli Deo convenit. Unde dicendum est, quia Deo fruimur et mundo utimur. In quo si quid delectationis habetur, propter Deum habendum est.

"In Christo". Refice, dico, viscera mea, et hoc "in Christo", id est sicuti vis partem cum Christo habere.

"Confidens". Finiturus litteras istas duo ponit, que multum illum ad veniam trahunt. Dicit enim se obedientia illius confisum ista scripsisse scientem etiam, quia supra id, quod obsecraret, faceret et ipse. Item se in proximo ad eum promittit venturum, iubens sibi partiri hospitium, ne pre verecundia possit non exaudire ipsum, quia hospitibus multum

---

[957] Cf. *De Trinitate lib.* 10 c. 11 n. 17 (PL 42,982); *De doctrina christiana lib.* 1. c. 33 n. 37 (PL 34,33).

adquiescere debemus et eis plurimum morem gerere. Et hoc est "confidens" etc. Acsi diceret: Ego scripsi ista tibi, sed "confidens" etc., id est plurimam habens fiduciam, quod tu obedires. Ego dico "sciens", quod videlicet longe "super id" etc. Ecce quomodo posset ei negare, quod postulat, cum ita loquatur.[a]

"Simul autem". Et non solum facito, quod de filio meo rogavi, sed etiam "simul", id est cum isto obsecro, ut videlicet pares michi hospitium. "Nam spero". Et bene dico: Para, quia spero me vobis in proximo dari, et hoc "per orationes vestras".

"Salutat" etc. Istos viros religiosos dicit illum salutare, ut et ipse causa eorum magis ad misericordiam moveatur.

"Concaptivus", quia captus erat cum apostolo et vinctus.

"Adiutores mei", qui videlicet me iuvant in predicatione ewangelii.

"Gratia Domini nostri Jhesu Christi", que videlicet iam data
162v est vobis, || perseveret "cum spiritu vestro", id est cum ratione vestra, ut videlicet spiritus vester carni numquam subiectus sit, sed econtra spiritus semper frenum carni imponat. Amen.

---

[a] Ecce—loquatur] *inter lineas et in margine*

INDEX NOMINUM ET RERUM

Date Due

FACULTY			
FE 14 '50			
FACULTY			

PUBLICATIONS IN MEDIAEVAL STUDIES

The University of Notre Dame

I. *The Works of Peter of Poitiers, Master in Theology and Chancellor of Paris* (1193-1205). By Philip S. Moore. Notre Dame, 1936. Pp. ix-218. A critical study of the works of "the most faithful pupil of Peter Lombard."

II. *Commentarius Cantabrigiensis in epistolas Pauli e schola Petri Abaelardi. By Artur Landgraf.* 1. In epistolam ad Romanos. Notre Dame, 1937. Pp. xlii-223. 2. In epistolam ad Corinthios Iam et IIam ad Galatas et ad Ephesios. Notre Dame, 1939. Pp. 224-446. Critical text and notes.

III. *Petri Pictaviensis allegoriae super tabernaculum Moysi.* By Philip S. Moore and James A. Corbett. Notre Dame, 1938. Pp. xxiii-214. Critical text and notes.

IV. *Johannis Dominici Lucula Noctis.* By Edmund Hunt. Notre Dame, 1940. Pp. xxxi-432. A XIV century collection of arguments for the humanism of the Renaissance and their refutation. Critical text and notes.

V. *Sachsenspiegel and Bible.* By Guido Kisch. Notre Dame, 1941. Pp. ix-198. Researches in the source history of the Sachsenspiegel and the influence of the Bible on mediaeval German Law.

VI. *Saint Bernward of Hildesheim:* 1. His life and times. By Francis J. Tschan. Notre Dame, 1942. Pp. vii-235. Scholarly and fascinating story of a late tenth and early eleventh century saint, bishop and artist, against the background of ecclesiastical and imperial life of the period.

VII. *Sententiae Petri Pictaviensis.* Liber 1. By Philip S. Moore and Marthe Dulong. Notre Dame, 1943. Pp. lxii-326. One of the most important source works of the twelfth century which develops and extends the *Sentences* of Peter Lombard and contributes toward the culmination of systematic theology in the *Summa theologica* of St. Thomas.

IN PREPARATION

Petri Pictaviensis sententiarum libri quinque. Libri II-V. By Philip S. Moore and Marthe Dulong. Critical text and notes.

Stephani Langton Cantuariensis archiepiscopi questiones. By Philip S. Moore and Marthe Dulong. Critical text and notes.

Prepositini cancellarii Parisiensis summa contra hereticos. By James A. Corbett and Joseph N. Garvin. Critical text and notes.

Pseudo-Philonis Antiquitatum Biblicarum Liber. By Guido Kisch. Critical edition, the first one to be published since 1527, based on the best manuscripts available, mainly that of Admont (11th/12th century), with introduction.